

Luis del Alcazar, S.J.

In Evangelium Joannis
[c.8]

[f.84v]

Lectio 2^a. Ego sum lux mundi [Jn 8,12]

1. Manifeste docet se esse Messiam, et phrasim quidem late explicavimus c.1, lectione 5, ubi etiam de coniunctione *lucis* et *vitae*, nam et hic ait *qui sequitur Me habebit lumen vitae*. Sed dubitatur quam connexionem indicet Joannes cum ait *iterum ergo loquutus est eis Jesus dicens Ego sum lux mundi*. Quorsum addit illam particulam *ergo*. Respondeo omnino videri Joannem respicere ad id quod initio capitis dixerat, nempe quod Christus *diluculo venit in Templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos*. Cum enim concionem hanc interpellasset quidam scribae et pharisaei adducentes adulteram, postquam illi abiire rediit Christus ad suam concionem. Unde optimus continuandi modus est quem ponit Evangelista quasi diceret: Christus docebat turbas, in media vero concione adduxerunt iudaei adulteram accusantes eam; sed ab eis mirabili ratione se expedit Christus, et illi pudore correpti unus post unum abiire; postea ergo rediit Christus ad suam concionem, et cum videret ex oblata occasione turbas ipsius divinam admirari sapientiam et tempus esse aptum ut palam de se loqueretur id quod opus erat hominibus nosse, iam tunc aperte coram omnibus dixit se esse lucem mundi et verum Messiam.

[f.85]

2. ***Quia scio unde veni et quo vado***. Non caret difficultate contextus: –primo, quia non videtur satis probari verum esse testimonium alicuius de se ipso ex eo quod sciat unde venit et quo vadit. –Deinde non apparet quorsum subiungitur pharisaeos id nescire et iudicare secundum carnem. –Et tandem non est facile apte explicare quomodo transitur a iudicio aliorum ad testimonium de se ipso et asseritur Christum neminem iudicare.

Pro explicatione nota iudicium in praesenti, ut saepe alibi, poni pro condemnatione, ita tamen ut late pateat et comprehendat condemnationem qua testis condemnat reum. Et testimonium verum appellatur id quod facit

fidem, ut patet ex illis verbis *in lege vestra scriptum est quia duorum hominum testimonium verum est*, nempe Deut 19,15, ubi dicitur *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*. Contextus ergo videtur esse huiusmodi: condemnatis me tanquam seductorem, et obiicitis quod testimonium meum de me ipso non faciat fidem; Ego vero dico id testimonium quod in aliorum ore ridiculum est, in ore meo debere fidem facere quia loquor de iis quae solus Ego novi inter mortales, atque adeo non debet a Me postulari contestatio alicuius ex vobis cum sitis omnes ignari huiusmodi misteriorum. Et contingit quidem bellissime inter nos ut vos Me vestro carnali iudicio condemnetis, ego autem neminem vestrum condemnem et contra neminem testimonium feram. (*Spiritualis omnia iudicat, ipse autem a nemine iudicatur, 1Cor 2,15*). Sed heu miserum hominem quicumque ille sit, si contra eum Ego testimonium dicam in iudicio, nam testimonium meum plenissimam facit fidem in iudicio; *neque enim solus Ego sum sed Ego et qui misit me Pater*; atque adeo etiam secundum legem vestram satis erat ad illius condemnationem. Et redeundo ad testimonium mei de Me, id ipsum quod Ego de Me dico testificatur Pater qui misit Me, per miracula nempe et Sacrae Scripturae testimonia, atque hac ratione condemnat eos qui condemnant Me. Nota locum pro distinctione personarum contra Sabellium, in quo videtur negligentior fuisse Jansenius¹, et nota etiam emphasim illius modi loquendi *in lege vestra*, in quo manifeste significat se novam adducere legem (Cuando suficientemente consta que un hombre es gran matemático y habla con hombres rudos de aquella facultad y que no acaban de creerle).

3. ***Neque Me scitis***, etc. Dixerat supra, c.7 [28] *et Me scitis et unde sim scitis*, loquens de origine sua secundum humanitatem, nunc vero loquitur de divinitate. Sed non respondet eis apertius, tum quia malitiose eum interrogabant ut eum calumniarentur quia Patrem suum dicebat Deum, tum etiam quia iam id saepe dixerat, et ipsi intellexerant.

4. ***Forsitam et Patrem meum sciretis***. Quomodo illud *forsitam* accipi debeat, diximus supra, c.5, fine.

5. ***Haec verba loquutus est Iesus in gazophilazio***. Alicuius momenti est expendere quem locum denotet in praesenti Gazophilazii nomen, id est an sit locus valde publicus vel aliquantulum reconditus ubi commodius possent pharisaei Dominum apprehendere, ut in eo ostendatur Dominum non fuisse apprehensum quousque ipse voluit apprehendi. —Dico ergo primo Gazophilazii nomen sonare idem quod locus in quo servatur gaza, sed

¹ CORNELIUS JANSSENS, *In suam Concordiam*, c.77. Lugduni 1580, p.567.

per analogiam accommodatum est nomen ad varias res. Et extra Templum quidem invenimus gazophilazium scribae in domo regis ubi servabantur publicae scripturae, Ier 36,12,20. Et regale Gazophilazium sonat idem quod thesaurus regius, la caja real. 3 Esdrae, 8,19,46,47².

Sed quod ad rem attinet est videre quis locus in Templo appelletur Gazophilacium.

—**Dico 1°**, in templo Ezechielis quod videtur esse idem cum templo Salomonis inveniri gazophilacia in tribus locis: primus in atrio exteriori gazophilacia 30 cum singulis ostiis c.40,17 et 38. Deinde in atrio interiori gazophilacia cantorum ad aquilonem, c.40, 44,45,46. Et denique in circuitu domus sacrae gazophilacia sancta in quibus vescebantur sacerdotes et in quibus unusquisque suas servabant vestes sacras, c.41,10, et c.42 saepe. Et haec gazophilacia sancta videntur distributa fuisse per familias, [f.85v] ut colligitur ex Ier 36,10 et 2 Esdrae [Nehem] 3,30, quorum iste meminit Mosollani gazophilacii et ille Gamariani.

—**Dico 2°**, quod in secunda Templi aedificatione invenimus *gazophilacium in domo thesauri*, 2 Esdrae [Nehem] 10,37,38,39 et c.12,43, et ad gazophilacium hoc praecipitur ut filii Israel deportent *primitias frumenti, vini et olei, et ut ibi sint vasa sanctificata et sacerdotes et cantores et ianitores et ministri* et constituitur Eliasib praepositus in gazophilacio, c.13,2 etc. Itaque triplex ordo gazophilaciorum videtur redactus fuisse ad unicum maximum gazophilacium.

—In tertia vero aedificatione sub Herode nescimus quae sit forma servata nam in Novo Testamento non fit alibi mentio gazophilacii nisi pro arca in quam votiva pecunia confertur per superius foramen quod nos appellamus *cepo*. Sic enim Mc 12,41 et 43, et Lc 21,1, et eodem modo accipitur gazophilacii nomen 4 Reg 12,9 et 10. Forsam ergo Joannes per gazophilacium intelligit locum ubi erant eiusmodi arcae, qui erat valde publicus cum ad eum accederent mulieres, ut patet Mc 12 [42] et Lc 21 [2]. Si vero Joannes designet locum ubi debebant sacerdotes et ministri et recondebantur primitiae et supellectiles, vg, sicut locus quem nos appellamus *sacristia*, cum magnis atriis interioribus, ille esset locus minus publicus, nisi forsam Christus erat in ingressu ubi audiri posset etiam a plebe.

6. **Dixit ergo eis iterum Iesus: Ego vado.** Illud *iterum* aiunt nonnulli additum esse, quia iam semel haec verba dixerat Christus c.7. Sed, primum, tunc Christus agebat cum ministris, et modo loquitur cum pharisaeis atque ita non videtur *secundo* dixisse verba haec. Deinde alius est sensus eorum verborum qui habentur c.7 et alius istorum quae nunc dicit Dominus, ut probavimus c.7, lectione 2, n.7 et 8, atque ita non cohaeret ut Evangelista dicat Christum modo

² Biblia Sacra, Lugduni 1598, 3Esdrae, c.8, vv.19,46,47.

repetere quod supra dixerat. (Vide Num.27,3, *sed in peccato suo mortuus est. Exod 28,43 ne iniquitatis rei moriantur.*) Quare, illa dictio *iterum* videtur in hunc modum accipienda, quasi diceret cum ad eos iterum loqueretur dixit eis *Ego vado*. Quod si roges quid sibi velit illa particula *ergo*, ait enim Evangelista *dixit ergo eis iterum Iesus*, in quo manifeste indicat aptam aliquam consequentiam. Respondeo ita esse proculdubio, nam id quod proxime praecedit est Christum quantumvis palam diceret se esse Messiam et Filium Dei, nihilominus *non fuisse apprehensum quia nondum venerit Hora eius*; unde infertur optime eum dixisse statim ad illos *Ego vado*, quasi diceret non quando vos volueritis sed quando ego voluero apprehendar et moriar, neque enim coactus trahor sed ex amore et electione vado. Vos autem etiam postquam abiero non desinetis vestrum odium prodere et me persequi, vel aliter: Ego mea sponte vado et vos meam mortem procurabitis, nam vestra prava voluntate Ego utar ad executionem mei beneplaciti (*Quid Me persequeris?*).

7. Et in peccato vestro moriemini. Communiter fere exponitur, quasi diceret moriemini in statu peccati. Sed, primum, istae phrases *mori in gratia, mori in peccato*, non inveniuntur in Sacra Scriptura in eo sensu in quo plerumque a scolasticis usurpantur; deinde illud pronomen *vestro* impedire videtur ne eo modo accipiatur. Sed quasi diceret Ego quidem vado spontanee, atque adeo non [f.86] trahor propter peccatum ad mortem, vos autem persequentes Me eritis meae voluntatis ministri, et postea tanti sceleris debitas luetis poenas et morte moriemini propter hoc peccatum vestrum quod est omnium quae cogitari possunt gravissimum. Itaque mori in peccato est mori propter peccatum. Vide Num c.27,4, *in peccato suo mortuus est*, et Exod 28,43 *ne iniquitatis rei moriantur*. Deinde mors quam praedicit Christus non videtur in excidio Hierosolymae intelligenda, sed multo magis in morte sempiterna, quia id plenius est et vehementius. Ergo ait Ego quidem moriar sed non in peccato, non ut mortis reus sed sponte, atque adeo non tam moriar quam vadam, vos autem propter hoc vestrum peccatum necessitati mortis aeternae subiacebitis. In quo et mortis discrimen notat dum alteram appellat non tam obitum quam abitum. Et alteram simpliciter mortem. Et significat etiam miram rerum contra apparentiam existentiam cum ille qui traditur, flagellatur, crucifigitur, non trahatur ad mortem neque eam propter aliquod suum peccatum subeat, illi vero qui eum tradidere ad mortem et postea forsam in lecto aegroti decumbunt et ut apparet non tam necentur quam post vitae officium defungantur, hi vere sint qui sceleris debitas atque gravissimas poenas luant. Neque abeunt in coelum sicut Christus qui erat ex coelo sed in tartarum sicut tartarei, como hombres infernales, et Christus abit ex hoc sordido mundo quia non erat ex mundo, illi vero tanquam maxime mundani et inmundi ad huius mundi centrum penetraunt, nam suo pondere et

ignis superiora et saxum inferiora petit (Aliter quidam sic: *Ego vado*, Yo estoy de camino para la otra vida y después de Yo ido desearéis siempre mi venida pensando que no he venido, y en este pecado de infidelidad moriréis. Pero tristes de vosotros que después de muertos no vais a donde Yo voy ni podéis ir allá. Et praeterea en fin vosotros como terrenos iréis al profundo, etc. Et quia pondus quando peccator descendit in infernum sunt ipsa peccata, propterea subiicit *dixi ergo vobis* etc.).

8. *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris; si enim non credideritis*, etc. Si omnino dixit eos in peccatis suis morituros, quomodo nunc conditionaliter ait se id propterea dixisse quia si non credunt morientur? —Respondeo 1º, hoc genus conditionis non impedire absolutam veritatem; videtur enim sensus esse huiusmodi: absolute dixi vos sceleris poenas damnaturos quia nisi credatis et poenitentiam agatis non potestis effugere supplicium; et credere omnino non vultis nec unquam voletis. —Respondeo 2º, forsam Dominum adiecisse conditionem quia quamvis in genere dixerat eos mortem aeternam obituros, sciebat tamen aliquem aut aliquos ex illis ab hoc supplicio per legitimam fidem liberandos; atque ut eos invitaret, propterea dixit *si enim non credideritis*, quasi diceret ab eo iudicio et condemnatione excipiendos esse quosdam illorum per fidem. —Respondeo 3º, absolute posse contra iniquos dici id quod secundum praesentem iustitiam verum est, nempe illos in tartara detrudendos esse; sed quia haec veritas habet subintellectam conditionem ne aliquis dum vivit de salute desperet ideo explicavit Dominus se illis praedicere mortem quia eam omnino subibunt nisi convertantur.

9. *Peccati* nomen in praesenti multis videtur poni pro infidelitate, et pluraliter etiam dici *peccata* quia infidelitas est multorum peccatorum origo. Probant quia dicit Dominus *moriemini in peccatis vestris, si enim non credideritis* etc, et confirmant ex eo quod alibi dixit Dominus *si non fecissem opera quae nemo alius fecit peccatum non haberent*, ubi proculdubio de infidelitate loquitur. Dico tamen in praesenti non de sola infidelitate sermonem esse, ut patet ex contextu iam explicato, sed omnino de persecutione et odio Christi in quo, quia saepius peccabant, aptissime mutatur numerus singularis in pluralem et dicitur propter illud peccatum vel propter illa peccata hostes Christi aeternae mortis supplicio afficiendos esse.

[f.86v]

10. *Ego sum. Tu quis es? Principium qui et loquor vobis*. Videbatur aliquid subintelligi in illis verbis *Ego sum*; iudaei ergo, non tam quod non intelli gerent id quod Dominus significabat quam quod optarent ab ipso expresse audire

quo maior esse calumniae locus; aut fortasse per Domini contemptum petunt ab eo ut explicet id quod reticebat, et aiunt *Tu quis es?* Quasi dicerent: ais opus esse ut credamus te esse, dic ergo nobis palam quisnam es tu? Et Christus ait *principium qui et loquor vobis*. Maior tamen difficultas est in explicatione quam in reticentia:

—1º, quia relativum *qui* in masculino genere non concordat cum nomine *principii* quod est neutrum, et quamvis non desit manuscriptum antiquum quod legat *principium quod loquor vobis*, iuxta syriacum, ut notant lovanienses, et quamvis eiusmodi lectio reperitur in Ambrosio et Augustino³, tamen neque recepta est neque tollit difficultatem, ut statim patebit.

—2º, quia relativum *qui* non potest in praesenti referre *Christum* quia in graeco est neutrius generis neque potest referre *principium* quia id est in graeco femenini generis.

—3º, quia nomen principii in graeco evidenter est in accusativo τὴν ἀρχήν, quasi diceret veritatem aut sapientiam, atque ita videtur non cohaerere cum interrogatione *Tu quis es* huiusmodi responsio sapientiam quod et loquor vobis.

—4º, quamvis in nominativo diceret *principium quod loquor vobis* non apparet quid habeat haec responsio dignum Christi sapientia.

—5º, quamvis haec per se esset aptissima responsio, non tamen videtur cum subsequentibus cohaerere, nam statim sequitur *multa habeo de vobis loqui et iudicare sed qui misit me verax est*.

11. Propter difficultatem nonnulli aiunt graeca esse corrupta et graecos antiquos codices habuisse sicut vertit noster interpres, quia alioqui emendasset Hieronymus et animadvertisset Ambrosius *principium* non esse in nominativo.

[Probant quia Hieronymus⁴ ait in prologo Evangelii ad Damasum se correxisse omnia quae sensum mutabant. Afferunt Titelmanum in prologo apologetico, Sepulvedam⁵ epistola 4 et 6 ad Erasmum. Y que aun S. Ambrosio⁶ se queja ad Rom 5. Afferunt Lindanum, libro 2 De optimo genere interpretaendi c.5,6,7. Afferunt ipsum etiam Erasmum, epistula 7 ad Sepulveda. Afferunt etiam codices esse quosdam qui omnino consentiunt cum Vulgata (Pagninus, Clitovaeus etc.)].

Sed quamvis certum sit graecos codices aliis in locis depravatos esse, in praesenti tamen non videtur verisimile non solum propter consensum

³ AUGUSTINUS, *In Jn tract.* 39. PL 35,1682.

⁴ HIERONYMUS, *Praefatio in 4 Evangelia papae Damaso*. PL 29,557.

⁵ J. SEPULVEDA, *Epist. Ad Erasmum*, Desiderii Erasmi opera, Lugduni 1703, t.3b, col.1762.

⁶ AMBROSIUS, *Comment in Epist ad Rom 5*. PL 17,100.

omnium graecorum interpretaetum sed etiam quia Augustinus et post illum multi evidentissime ostendunt se suam explicationem accommodare ad graecam lectionem quam hodie habemus et eam esse certam atque legitimam. Deinde quia lectio latina non cogit ut intelligamus aliter legisse nostrum interpretaetum, nam *principii* nomen bene potest esse in accusativo, sicut in graeco ἀρχῆν atque ita ait Augustinus esse accipiendum necnon etiam Beda⁷ et ex recentioribus Arboreus et multi, et quod multi legunt *principium qui et loquor vobis*, non certum est illud esse legitimam Vulgatae lectionem quia ex Augustino⁸ tract.38, fine, constat eum legisse *principium quia et loquor vobis*, quod omnino consentit cum graeca lectione, et idem sensus potest intelligi in iis libris qui legunt *principium quod et loquor vobis* accipiendo illud *quod* pro *quia*, ut postea clarius patebit. Praeterea si legamus *quod* et accipiamus relative, ita etiam possunt exponi graeca, nam ὅτι si dividatur est relativum et si coniungatur est coniunctio causalis. Et tandem non desunt (nempe Augustinus, Beda, Arboreus, etc) qui graeca explicant in eodem sensu in quo nostra lectio explicatur ab iis qui solum latina considerant, atque ita posset quis dicere nostrum interpretaetum quamvis posuisset *principium* in nominativo respexisse ad sensum et non ad grammaticam constructionem atque ita in eodem sensu facilius explicasse id quod videbatur duriusculum in graecis codicibus. Quod si in eo sensu propter contextum est difficultas, hoc non militat contra graecam lectionem sed potius contra latinam et contra eos qui volunt accommodare graeca latinis et non potius latina graecis.

12. Sed referamus iam varios sensus. Ambrosius et Bernardus⁹, S.Thomas¹⁰, Lyra¹¹, Interlinealis et alii existimant Christum de sua divinitate dixisse *Ego sum* eo modo quo Exodo 3[14] dicitur *Ego sum qui sum*. [f.87]

In hac difficultate nota illud τὴν ἀρχὴν adverbialiter saepe poni. Ita Erasmus¹² ex Nazianceno, et Galenus, et Chrysostomus¹³, et Theophylactus¹⁴ et Euthymius¹⁵. Et probatur quia accusativum τέλος, id est finem, graeci saepe ponunt pro denique (al fin), ergo similiter τὴν ἀρχὴν significabit idem quod in primis (lo primero). (Primum est accusativus adverbialiter

⁷ VENERABILIS BEDA, *In S.Jn Ev expositio*, c.8. PL 92,744.

⁸ AUGUSTINUS, *In Jn Evangelium tract.* 38. PL 35,1681.

⁹ BERNARDUS, *De consideratione*, l.5, c.6. PL 182,796

¹⁰ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.12*. Ed. Vivès t.17. p.531.

¹¹ GLOSSA ORDINARIA, *Jn* 8,25. PL 114,391.

¹² DESIDERIUS ERASMUS, *Jn* 8,25. Opera omnia, tomo 6, Lugduni 1705, p.376.

¹³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil* 53. PG 59,293.

¹⁴ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn* 8,25. PG 124,19.

¹⁵ EUTHYMIUS, *Comment in Jn* 8,25. PG 129,1287.

sumptum.) Perinde est quod quidam notant supleri praepositionem *κατα*, ut *κατα τῆν ἀρχῆν* sit quantum ad primum. Deinde si haec est adverbialis loquutio non solum denotavit id quod est primum sed etiam quandoque id quod est potissimum, quia *in primis* aliquando est idem quod omnino, vel praecipue vel maxime. Sic ergo potest accipi in Vulgata *το principium* in accusativo adverbialiter, multa enim in ea sunt eiusmodi ut non sint ex phrasi latina intelligenda sed ex accommodatione ad graecam phrasim.

(Dice que principium no se dice sino del Padre).

(Dic cómo no era menester declararse más sino *Ego sum*. Para que se entendiera ex praecedentibus *Ego sum Messias*. Y que era más política manera de hablar: Yo soy, a saber, el que he dicho).

Deinde dictio *ὄτι* dupliciter legi potest: 1º, cum quadam distinctione, ut sit relativum *quod*; et 2º, adverbialiter, pro *quia*. Et nihil horum aberrat a Vulgata, quia non constat an vera Vulgatae lectio sit *principium qui*; reperiuntur enim codices qui habent *principium quod* atque ita quandoque citant Ambrosius et Augustinus. Et nescias an illud *quod* sit relativum vel ponatur quod pro *quia*. Certe Augustinus¹⁶ tract.28 fine satis ostendit se causaliter explicare *principium quia et loquor vobis*.

Referamus explicationes. —1ª est Christum noluisse respondere iudaeis et solum dixisse se esse omnino eum qui cum illis loquebatur. Sed non cohaeret cum graeca lectione *ὄτι*. (Cuanto a lo primero, Yo soy Hombre que os digo las verdades.) —2ª. Christum respondisse se, qui loquebatur cum eis, esse principium rerum omnium. Et facit quod haec videatur familiaris Christi responsio, c.4 *Ego sum qui loquor tecum*, et c.9,38 *qui loquitur tecum ipse est*. —3ª, quasi diceret se esse Deum et Hominem *principium* qua Deus, et *loquentem cum eis* qua Homo est. Et quidem nomen *principium* tribui Christo sive legatur in accusativo sive in nominativo est sententia Ambrosii, Augustini¹⁷, Bedae, S.Thomae¹⁸, Lyrae¹⁹, Ruperti²⁰, etc. Bernardus²¹, 5 de consideratione, c.6. Verum legere in nominativo non videtur permittere graeca phrasis, in accusativo vero, si tribuatur Christo videtur violenta interpretatio *quia quo casu quaeritis* etc. [f.87v] —4ª, *principium quod loquor*, id est, a principio quod loquor, id est, id quod a principio vobis dixi, sive in principio huius concionis sive in superioribus concionibus, quae habentur c.5 et 7. Ita

¹⁶ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 38*. PL 35,1681.

¹⁷ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 38*. PL 35,1681.

¹⁸ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.8*. Ed. Vivès t.17, p.530.

¹⁹ *Gossa ordinaria*, *Jn 8,25*. PL 114,391

²⁰ RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment in Jn, l.8*. PL 169,544.

²¹ BERNARDUS, *De consideratione, l.5, c.6*. Pl 182,796

Nonus, Titelmanus, Montanus²², Gasneius, Jansenius²³. Quasi diceret: quaeritis quis sim. Respondeo: nihil novi sed quod a principio vobis dico.

—5^a. *Prncipium quod loquor*; id est, omnino sum id quod vobis dico, vel omnino sic est ut vobis loquor. Ita Jansenius²⁴: lege et vide.

—6^a, subintelligit non nihil, quasi diceret: in primis, quod et vobis loquar indigni estis, quia *multa habeo de vobis loqui et iudicare* [Jn 8,26]. Tribuitur Chrysostomo²⁵, Theophylacto²⁶ et Euthymio.

—7^a, Cajetani²⁷, qui connectit hoc modo: in primis quia loquor vobis ideo multa habeo de vobis loqui et accusare, como quien os ha predicado y sabe vuestras injurias etc.

—8^a est Christum nihil omnino respondisse ad malitiosam interrogationem sino que prosiguió afirmándose en lo que había amenazado quasi sine ulla interpellatione diceret: *nisi credideritis quia ego sum moriemini in peccatis vestris*, praesertim quia prius vos admoneo. Vel omnino continget vobis haec poena quia ego ipse loquor vobis. Congruit cum illo dicto Domini: *si non venissem et loquutus eis fuissem peccatum non haberent*, et sequitur congruentissime *multa habeo de vobis loqui et iudicare*, nam omnia spectant ad iudaeorum accusationem.

Lectio 3^a

1. ***Multa habeo de vobis loqui sed qui misit Me verax est, et Ego quae audivi ab eo haec loquor*** [8,26]. Non satis patet energia illius conjunctionis *sed*, et apta istarum propositionum connexio. Ego sic intelligo quasi diceret Ego in multis vos possum vere accusare sed vos Me non potestis vere falsitatis arguere quia qui misit Me verax est et Ego nihil loquor quod ab eo prius non audiam (Vosotros sois el traidor; que Yo no, sino delante de Dios que trato fielmente, etc.).

2. ***Et non agnoverunt quia Patrem eius dicebat***. Crediderim non esse sensum quasi diceret iudaeos non intellexisse quod se Filium Dei assereret. Sed non intellexisse an loqueretur de Patre suo, nempe in illis verbis *qui misit Me verax est*. Potuerunt enim dubitare an significaret se esse missum et instructum ab aliquo alio homine quem ipse veracissimum crederet. Unde

²² *Novum J.C. Testamentum complectens translationes*. ARIAE MONTANI Jn 8,25. Antverpiae 1616.

²³ C. JANSENS, *In suam Concordiam c.77*. Lugduni 1580, p.570.

²⁴ C. JANSENS, *In suam Concordiam c.77*. Lugduni 1580, p.569.

²⁵ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.53*. PG 59,293.

²⁶ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 8,25*. PG 124,19.

²⁷ CAJETANUS, *In quatuor Evangelia, Jn 8*. Lugduni 1573, fol.405v.

aptissime sequitur *dixit ergo eis Iesus*. Nam alioqui quid denotat illud *ergo*? Certe in nostra explicatione optime denotat Christum explicasse se loqui de suo Patre. Neque vero opus erat explicare se loqui de Deo, quia iam dixerat se esse Filium Dei supra et c.5 (*Exaltaveritis*, id est Crucifixeritis. Ex [Jn] c.3[14] et 12[32]).

3. ***Tunc cognoscetis***. Duplex potest esse sensus. —Primus quasi diceret: statim post crucifixionem cognoscetis. —Secundus quasi diceret: postquam Me crucifixeritis cognoscetis. (*Vere Filius Dei erat iste, Mt 27,54.*) Et utrovis modo potest esse sermo, vel de cognitione voluntaria atque fideli cum pia voluntatis affectione, vel etiam de coacta cognitione eorum qui quamvis propter cordis duritiam noluerunt recipere fidem et christianam religionem amplecti, nihilominus agnoverunt miseri veritatem; tot enim et tanta signa contigerunt in Christi Passione, et in Pentecoste, et postea in excidio hierosolymitano ut plurimos per Dei gratiam vere Christo subiecerint, et multos etiam propria conscientia in sua obstinatione condemnarentur. Loquendo tamen de iis qui per fidem vivam Christum cognoverunt [f.88] non solum significat Dominus maximorum miraculorum vim et evidentiam sed multo magis effundendae gratiae abundantiam, iuxta id quod alibi ait: *si Ego exaltatus fuero a terra omnia traham ad Me ipsum* et: *si granum frumenti mortuum fuerit multum fructum afferet*. De quo vide annotanda [Jn] c.12,24.

4. ***Et qui Me misit mecum est***. Id est, et cognoscetis quod qui Me misit mecum est. Ita Cajetanus²⁸. Possumus etiam intelligere ut ait Jansenius²⁹ esse continuationem eius quod de se dicere coeperat *qui Me misit verax est* etc, atque ita videntur intellexisse Chrisostomus et Euthymius³⁰.

4 [bis]. ***Veritas liberabit vos***. Liberare in praesenti non significat a periculis aut laboribus eruere sed ex servo facere liberum, ut patet ex voce graeca et ex contextu, atque ita intelligunt Augustinus³¹ et Chrysostomus³². Porro quamvis optime veritatis nomine intelligatur ipse Christus, ut exponit Chrysostomus, nihilominus ista coniunctio veritatis cognitae cum libertate (quam Christus docet) aptissime explicatur in maiori aliqua illustratione coelesti, id est en un desengaño que Christo comunica a los suyos con el que lo desprecian

²⁸ CAJETANUS, *In quatuor Evangelia, Jn 8*. Lugduni 1573, fol.406v.

²⁹ JANSENS, *In Concordiam c.77*. Lugduni 1580, p.571.

³⁰ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 8,29*. PG 129,1291.

³¹ AUGUSTINUS, *In Jn Evang. tract. 40*. PL 35,1692.

³² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil.54(53)*. PG 59,297.

todo por Él, nam nemo vere liber est nisi qui servitutis iugum per eiusmodi veritatem abiecit (Si veritas vos liberaverit, vere liberi eritis).

5. **Responderunt ei.** Chrysostomus et Theophylactus interpretaantur de illis ipsis qui crediderint. Verum ex sequentibus patet aliter esse explicandum cum Augustino³³, quia non est credibile de iis qui crediderant Dominum dicere *quaeritis Me interficere* etc. Ergo *reponderunt ei* debet impersonaliter accipi, quasi diceret dijéronle o non defuit qui ei responderet nomine omnium; quamvis enim Christus cum credentibus ageret, sed quia illi erant cum multis aliis permixti et nondum suam explicaverant fidem, ideo videbatur Dominus cum omnibus loqui, atque ita non oportet ut *responderunt* ad credentes referatur sed ad aliquos ex illa concione.

6. **Nemini servivimus unquam.** Chrysostomus³⁴, Theophylactus³⁵ et Euthymius³⁶ credunt mentitos fuisse iudaeos quoniam servierant aegyptiis atque chaldaeis etc, sed dissimulare Dominum, quoniam non de hac servitute loquebatur sed de alia multo graviore. Verosimilius tamen est (quod ait Cajetanus³⁷) hos non loqui de maioribus suis sed de se ipsis qui nunquam fuerant servi, nam licet tunc romanis parerent, non tamen ut servi sed ut liberi tributa pendentes (Prov 5 [22] *iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur*).

7. **Servus autem non manet in domo in aeternum.** Postquam dixit peccatorem esse peccati servum, apparet prima facie non cohaerere quod modo ait nam in domo peccati in aeternum manebit peccator nisi per Dei gratiam liberetur a servitute. Et si sermo sit de domo Dei non est eius servus qui facit peccatum. Et praeterea non apparet cur non possit servus in domo heri sui in aeternum morari.

—Respondeo 1^{um}, non in eadem persistit metaphora, sed peccatorem primum appellari peccati servum, et deinde peccatorem qui est in domo Dei considerari tanquam eum qui cum sit servus Joannis in aliena domo Petri mercenarius est et mercedem Joanni lucratur utpote suo proprio hero, atque adeo non potest in domo Petri manere nisi fortasse a Petro aut ab eius filio eandem potestatem habente ematur vel redimatur ut iam deinceps non sit Joannis et possit libere in domo Petri in aeternum manere. Sic ergo peccator

³³ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.41*. PL 35,1693.

³⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil.54(53)*. PG 59,2978.

³⁵ THEOPHYLACTUS, *Enaratio in Ev Jn 8,32*, PG 124,26.

³⁶ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 8,33*. PG 129,1294.

³⁷ CAJETANUS, *In quatuor Evangelia, Jn 8*. Lugduni 1573, fol. 407v.

utpote [f.88v] alienum mancipium non est in domo Dei nisi ut mercedem peccato lucretur, id est ut commodum aliquod temporale acquirat et comparet sibi bonum commutabile quod postea perdit peccato atque ita non potest in domo Dei manere nisi a Christo utpote Dei Filio liberetur a servitute peccati et constituatur servus Dei atque adeo liber, nam vera ingenuitas est servitium Dei, tunc enim poterit in domo Dei manere. Quod si haec explicatio videatur magis arguta quam simplex,

—Respondeo 2º, peccatorem qui prius fuerat appellatus peccati servus postea in domo Dei considerari tanquam mancipium quod animo servili semper meditatur fugam, atque adeo non potest diutius in domo Dei manere, quia Deo non placent mancipiorum servitia et omnino vult ut omnes domestici et famuli domus suae sint liberi et ingenui, atque adeo nisi is qui erat mancipium libertate donetur a Filio Dei non potest manere in eius domo. Haec videtur simplicior explicatio, et facit id, ad Galatas 4 [31] *non sumus ancillae filii sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit*. Vide etiam ad Hebraeos 3 [5].

Aliquis fortasse explicabit: servi estis peccati sed non filii, atque adeo non opus est ut in eius domo in aeternum maneatis quia Filius Dei potest vos ab ea servitute liberare (Hay personas que no se quieren servir de esclavos).

Scio plerosque aliter explicare, nempe Dominum alludere ad consuetudinem hebraeorum apud quos hebraeus servus, septimo anno aut certe quinquagesimo liber abibat. Ex 21 et Deut 15 [12], et alienigena saltem vendi poterat atque adeo non habebat ius manendi semper in domo. Sed contra hanc explicationem est quod neque famulus liber habeat ius manendi in aeternum, et Christus hic non ait se posse ex servis facere filios, sed facere liberos, neque in graeco est ambiguitas ut nomen liberorum significare possit filios (a este siervo el *non manere in domo in aeternum* era o por favor que se le hacía o por parte de su amo, no por culpa suya; sed in nostra explicatione es por culpa suya).

8. *Sermo meus non capit in vobis*. Notat Chrysostomus³⁸ magnitudinem sermonis qui non capit in cordibus iudaeorum. Sed omnino haec phrasid significat odium iudaeorum quod aliter expressit primum *non potestis audire sermonem meum*. Idem enim est: esta doctrina no me puede entrar de los dientes a dentro, vel no la puedo oír en ninguna manera, id est valde me offendit. Unde optime habet *quaeritis Me interficere quia sermo meus non capit in vobis*.

³⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil.54(53)*. PG 59,298.

9. **Nos ex fornicatione non sumus nati.** De corporali fornicatione intelligunt Origenes³⁹, tr.22, Chrysostomus⁴⁰, Theophylactus⁴¹ et Euthymius⁴², sed ratio quam reddunt esset absurda, nempe unum patrem habemus Deum. Aptius ergo est ut de spirituali fornicatione loquantur, id est de idololatria, ut intelligit Jansenius⁴³ cum S.Thoma⁴⁴, Lyra⁴⁵ et Glossa. Et abstractum ponitur pro concreto, quasi diceret neque sumus ethnicorum filii neque eorum idola colimus, sed unum Deum colimus atque eum patrem appellamus. Pro hoc contextu facit quod Ex 4[22] appellatur populus Israel primogenitus Dei eo quod non colat idola. Vide etiam illud Ier 3[2] *polluisti terram in fornicationibus tuis* etc. Ergo saltem amodo voca me patrem meum, id est desine iam colere idola, et voca me patrem.

Titelmanus dice que quisieron decir no somos hijos de Agar sino de Sara cuius filios elegit Deus. Sed contra est, primo quod Ismael non est natus ex fornicatione, et praeterea multi ex legitimo matrimonio nati fuerunt adulteri idololatrae, ut idumaei et qui ex filiis Ceturae.

10. **Ille homicida erat ab initio:** vel quia primos parentes spiritualiter occidit, ex Augustino⁴⁶, vel quia stimulavit Cain ad occidendum Abel.

Et in veritate non stetit Augustinus⁴⁷ pluribus in locis, Chrysostomus⁴⁸, Euthymius⁴⁹, S.Thomas⁵⁰ et Lyra⁵¹ de veritate vitae interpretantur, quasi diceret: non servavit Deo fidem. Augustinus⁵² illam causalem *quia veritas in eo non est* exponit indicative sicut id Ps 16[6] *ego clamavi quoniam exaudisti me*, id est inditium mei clamor est tua exauditio. Sed contra est, etc. Sed huic expositioni obiicit bene Jansenius⁵³ contextum qui de verborum veritate procedit. Rursus Jansenio obiiciunt quidam illam phrasim *non stetit*, id est non permansit, quae videtur postulare ut aliquando diabolus fuerit in veritate, quod in expositione Jansenii non habet locum. Dico tamen non opus esse ut *stare*

³⁹ ORIGENES, *Comment in Jn tomus 20*. PG 14,607.

⁴⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil. 54(53)*. PG 59,300.

⁴¹ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn. 8,41*. PG 124,27.

⁴² EUTHYMIUS, *Comment in Jn 8,41*. PG 129,1295.

⁴³ JANSENS, *In Concordiam c.77*. Lugduni 1580, p.575.

⁴⁴ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.8*. Ed vivès t.17, p.536.

⁴⁵ GLOSSA ORDINARIA, *Jn 8,41*. PL 114,392.

⁴⁶ AUGUSTINUS, *In Jn Evang. tract.42*. PL 35,1703.

⁴⁷ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract. 42*. PL 35,1704.

⁴⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil. 54(53)*. PG 59,299.

⁴⁹ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 8,44*. PG 129,1298.

⁵⁰ THOMAS AQ., *In Jn Ev., c.8*. Ed. Vivès t.17, p.538.

⁵¹ GLOSSA ORDINARIA, *Jn 8,44*. PL 114,393.

⁵² AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.42*. PL 35,1705

⁵³ JANSENS, *In Concordiam c.77*. Lugduni 1580, p.576.

eo modo accipiatur, quia si sermo sit [f.89] de illa veritate *in quacumque die comederis de ligno quod est in medio Paradisi morte morieris* [Gn 3,17]. Non stetisse in illa poterit bene explicari quasi diceret audita veritate non se potuit continere quin ei bellum inferret. Et omnino Christus probare vult hostes suos esse filios diaboli in necis procuratione et in odio veritatis, nam ab initio se ostendit diabolus mortis procuratorem et hostem veritatis. Porro illud quod sequitur *quia veritas in eo non est* optime congruit, sensus enim quasi diceret quia non est in ore eius veritas sed proprium illi est et quasi innatum mendacium loqui, nec enim solum est mendax sed etiam mendacii pater et auctor; vos autem utpote talis parentis proles ideo non creditis mihi et bellum geritis contra Me quia veritatem dico vobis. Vide Hieronymum⁵⁴ lib 6 super Isaiam, c.44, de ridicula quadam constructione illorum verborum *et pater eius*, id est diaboli, quem quidam dicebant esse *leviatam*, manichaei vero malum principium.

11. ***Quis ex vobis arguet Me de peccato? Si veritatem dico vobis etc.*** Quasi diceret hinc patet vos non ob aliam causam mihi contradicere nisi quia inimici estis veritatis; nam si ita non est, aut arguite me de peccato in vita aut de falsitate in doctrina. Porro *arguere* non est in praesenti *reprehendere* sed *convincere*, ut patet ex voce graeca ἐλέγχει. Vide illud [Tit 1,9] *ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere*, et Jn 16 [8] *ille arguet mundum de peccato*. Ad Hebr 11 [1] fides appellatur *argumentum non apparentium*, graece ἔλεγχος, id est convictio.

12. ***Ego daemonium non habeo.*** Cur non responderit ad illud opprobrium *samaritanus es Tu*. Vide Augustinum⁵⁵ tract. 43, et Gregorium, homil.18, et nota cur qui in reprehendendo asperum se ostendebat, provocatus contumelia se lenem praebeat et solum dicat *Ego demonium non habeo* (Cristo había dicho *non videbit*, y ellos, trocando *non gustabit*).

13. ***Exultavit ut videret***, gestivit videre id est, cum exultatione concupivit. ***Diem meum***: graeci, de die passionis explicant; Augustinus⁵⁶ vero, aptius, de Incarnatione.

14. ***Quinquaginta annos.*** Chrysostomus⁵⁷ et Theophylactus⁵⁸ putant legi debere 40 annos. Irenaeus vero l.2, c.39, non solum legit 50, sed etiam

⁵⁴ HIERONYMUS, *Comment in Isaiam proph l.6, c.14,21*. PL 24,233.

⁵⁵ AUGUSTINUS, *In Jn Ev. tract.43*. PL 35,1707.

⁵⁶ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.43*. PL 35,1713.

⁵⁷ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 55(54)*. PG 59,304.

⁵⁸ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 8,57*. PG124,38.

putat Dominum prope accessisse ad 50. Sed de lectione et de veritate iam non est dubium, et caetera multi optime (Cristo dijo *vidit* y ellos *Abraham vidisti*).

15. *Tulerunt lapides, etc.* Contra el que blasphemase contra el Nombre del Señor había pena de apedrearle. Levit 24,16. Cur ergo lapidare volunt Christum.

16. *Abscondit se et exivit e templo.* Graece additur διελπῶν διὰ μέσον αὐτῶν καὶ παρῆγεν οὐτως, transiens per medium illorum et praeteriit sic.

[f.89v]

Caput 9. Lectio 1^a

1. *Et praeteriens.* Jansenius⁵⁹, c.78 ait hanc historiam non contigisse cum Dominus exivit de templo, quoniam tunc non aderant discipuli qui modo dicuntur adfuisse; verum nescio unde colligat Dominum se abscondisse a suis discipulis quando a judaeis se abscondit, cum facile posset se his occultare et illis non, et praeterea dato quod a suorum etiam oculis se substraxerit Dominus in Templo credibile est eos statim quaerentes eum exiisse et consequutos eum fuisse antequam offenderet caecum. Nam modus narrationis et coniunctio illa *et* omnino persuadent historiam hanc contigisse statim post historiam capituli praecedentis, atque id expresse notant Chrysostomus⁶⁰, Theophylactus⁶¹, Euthymius⁶², S.Thomas⁶³ et Lyra⁶⁴ et in utriusque rei coniunctione optime perpendunt immensam Christi beneficentiam.

Vidit, id est attente perspexit. Jansenius⁶⁵ bene.

2. *Quis peccavit hic an parentes eius ut caecus nasceretur?* Lecto Jansenio, —**Dico 1^o**, non videri verisimile adeo stupidos fuisse discipulos ut si persuasum haberent singulorum animas non fuisse ante corporis generationem nihilominus dubitarent an caecus iste actu peccaverit antequam nasceretur.

⁵⁹ JANSSENS, *In Concordiam* c.78. Lugduni 1580, p.581.

⁶⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil.56(55)*. PG 59,305.

⁶¹ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 9,1*. PG 124,39.

⁶² EUTHYMIUS, *Comment in Jn 9,1*. PG 129,1303.

⁶³ THOMAS A.Q., *In Jn Ev., c.9*. Ed. Vivés t.17, p.545.

⁶⁴ GLOSSA ORDINARIA, *Jn 9,1*. PL 114,394.

⁶⁵ JANSSENS, *In Concordiam* c.78. Lugduni 1580, p.581.

—**Dico 2°**, duriusculam apparere expressionem Chrysostomi⁶⁶, Theophylacti⁶⁷ et Euthymii, qui interrogationem hanc putant aequivalere negationi, quasi dicerent cur Deus voluit hunc homine nasci caecum? Propter propria peccata, non. Propter parentum scelera, minus. Et tamen omnia mala poenae videntur ex culpis oriri. Explica ergo nobis cur iste sit natus caecus. —Haec inquam explicatio non videtur apta, tum quia interrogatio esset minus modesta, tum quia responsio Domini ostendit discipulos dubitasse an ipse caecus vel eius parentes fuissent in causam, tum etiam quia sine fundamento supponitur discipulos pro comperto habuisse nullum nasci caecum propter peccata parentum, cuius oppositum est communibus sensibus infixum.

—**Dico 3°**, discipulos fortasse interrogasse de peccato originali; quod si obiicias ex ipsa responsione Domini constare oppositum, quia non esset vera responsio si de originali sermo esset, cum certum sit hunc natum fuisse caecum quia peccavit in Adam. Respondeo discipulos fortasse interrogasse de integra ratione propter quam divina providentia voluit hunc hominem oriri caecum an propterea solum quod in Adam peccaverit vel etiam propter peccata parentum. Atque ita apte cohaeret responsio *neque hic peccavit neque parentes eius*, scilicet ut caecus nasceretur, id est neutrum istorum fuit integra et potissima ratio.

—**Dico 4°**, fortasse discipulos tunc dubitasse an peccata quae adultus facturus erat caecus praevisa a Deo fuerint causa caecitatis, nec enim defuere qui decepti specie nescio qua dicerent hunc Deum elegisse eo quod praevideret usurus bene gratia. Sic ergo etc.

—**Dico 5°**, multo verimiliter esse discipulos antequam a Domino instruerentur saltem dubitasse an vera esset illa palingenesia quam iudaei plerique et pitagorici credebant, iuxta quam poterat nasci caecus propter peccata prius admissa. De quo vide Jansenium⁶⁸ cc. 16, 56 et 66, ubi adducit illud Mt *alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero Hieremiam*, etc. Praeterea Philo⁶⁹ admittit hanc *palingenesiam*, libro de somniis, et libro 2 de plantatione. Josephus⁷⁰ eam tribuit pharisaeis, 2 de bello c.7 et ipse eam affirmat libro 3, c.14. Habetur in Talmud in 4° ordine: tract. 2, ut refert Sixtus⁷¹ libro 2, verbo *traditiones seniorum*, in fine. Vide quod

⁶⁶ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 56(55)*. PG 59,305.

⁶⁷ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Jn Ev 9,2*. PG 124,42.

⁶⁸ JANSSENS, *In Concordiam*, c.16, 46, 56. Lugduni 1580, p. 133, 346, 435.

⁶⁹ Cfr. v.c. *De posteritate Caini*, *παλλαγενσίν Αβελ* Philonis Alexandrini opera... Berolini 1896, p.27,15.

⁷⁰ FLAVIUS JOSEPHUS, *De bello iudaico* l.2, c.7; l.3, c.14. Basileae 1554, p.650; p.704s.

⁷¹ SIXTUS SENENSIS O.P., *Bibliot. Sancta, liber 2, "traditines seniorum" Aliae haereses*. Venetiis 1566, p.202.

praeterea postea aiunt iudaei *in peccatis natus est totus*, quibus verbis, ut aiunt Chrysostomus⁷², Theophylactus⁷³ et Euthymius⁷⁴ manifeste improperant quod propter peccata sua natus sit caecus.

[f.90]

3. *Ut manifestentur opera Dei*, para que se vean las maravillas de Dios. Nosti quid G.d.C.

3. *Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est; venit nox quando nemo potest operari*. Quid sit *opus Dei* vide supra, c.6, lectione 3, in annotationibus n.7 (Aliter Theophylactus⁷⁵ et Euthymius⁷⁶: *opera eius*, id est quae Me aequalem ei ostendunt).

De *die* vero ac *nocte*, tres invenio explicationes:

—1^a est Montani qui per *diem* intelligit tempus in quo aliqua spes profectus supererat iudaeis nondum penitus excaecatis et obstinatis, et per *noctem* eorum excaecationem; quasi diceret Dominus: oportet dum aliqua affulget spes nullum non lapidem movere in iudaeorum salute procuranda, nam in obscuracionis et excaecacionis nocte nihil est quod operemur.

—2^a est Theophylacti⁷⁷, Euthymii⁷⁸ atque Ruperti⁷⁹, qui *diem* dici putant tempus dum licet credere et mereri, dum homines huius lucis usura fruuntur, *noctem* vero tempus post vitam, quasi diceret Christus se usque ad diem iudicii vel usque ad singulorum mortem non desistere sed semper eorum saluti intendere, quia post hominis mortem neque ipse potest mereri neque adiuvari.

—3^a, Jansenii⁸⁰ et Lyrae⁸¹: per diem intelligunt praesentiam Christi corpoream, et confirmatur ex eo quod sequitur *quandiu sum in mundo Lux sum mundi*; ut enim sol efficit diem ita quoque Christi praesentia qui est sol iustitiae. Sed in hac expositione facessunt illa verba *venit nox quando nemo potest operari*. Lyra⁸² sequitur 2^{am} expositionem. Jansenius ita exponit: veniet mors mea quando ab hominibus abstrahar et non potero per me ipsum docere eos et miracula facere. Alii vero sic: veniet mors mea

⁷² JONNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 58(57)*. PG 59,319.

⁷³ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 9,34*. PG 124,59.

⁷⁴ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 9,34*. PG 129,1318.

⁷⁵ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 9*. PG 124,46.

⁷⁶ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn, 9,4*. PG 129,1310.

⁷⁷ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 9,4*. PG 124,46.

⁷⁸ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 9,4*. PG 129,1310.

⁷⁹ RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment in Jn, c.9*. PL 169,589.

⁸⁰ JANSSENS, *In Concordiam*, c.78. Lugduni 1580.m p.582.

⁸¹ GLOSSA ORDINARIA, *Jn 12,35*. PL114,403.

⁸² GLOSSA ORDINARIA, *Jn 9,5*. PL 114,394.

per quam ego sol iustitiae abstrahar a iudaeis et illi manebunt in tenebris et tunc non potero operari apud illos propter eorum incredulitatem et meam lucem transferam ad gentes. Sicut Mc 6[5; cfr.Mt 13,58] dicitur *non poterat ibi virtutes multas facere*. Quod si dicas post Christi mortem multos ex iudaeis fuisse conversos, Respondeo hos multos fuisse fere nullos comparatione eorum qui sunt excaecati.

4. In his expositionibus plane non acquiescit animus: in 1^a, quia Christus videtur satis explicare idem esse *donec dies est* et *quamdiu sum in mundo*; in 2^a, quia Christus non ait in nocte neminem posse adiuvari sed neminem posse operari; in 3^a, quia si in metaphora solis diceret Christus me oportet operari donec dies est, non subiiceret in nocte neminem operari, tum quia sol non quiescit in nocte, tum quia non est aptus transitus a sole ad homines, quia sol operatur tribuendo lucem, homines vero adiuti a luce, atque ita non potest in eodem sensu de sole et de hominibus dici *nemo potest operari in nocte*. Crediderim ergo simplicius et aptius esse ut Christus beneficentiam exercere volens postquam lapidibus appetitus est reddat rationem quare non debeat in benefaciendo defatigari quantumvis reddantur ei mala pro bonis, nempe quia sicut nullus laborat de nocte sed de die ita illi solum laborandum est dum huius lucis usura fruitur; non habet aliud tempus in quo illustrem illam exerceat patientiam reddendi bona pro malis quae experitur, et in quo et sibi promereatur et nobis, quia nemo de nocte laborat sed quiescit, atque ita cum eum postea maneat aeternae quietis pax, oportet ut numquam cesset in vita eam sibi et nobis maiorem et illustriorem gratiam comparare exercendo in vita mortali suum officium quod nunquam exercere destitit ex quo est in mundo [f.90v] itaque *quamdiu* non est quasi diceret mientras estoy en el mundo he de ser su luz, sino desde que vine al mundo le comencé a dar luz. Et facit quod tribuere visum caeco est veluti illuminare, praeter quam quod in ea illuminatione redemptionem generis humani delineabat.

5. ***Fecit lutum ex sputo***. Nosti quomodo *sputum* et *terra* referant sapientiam et carnem, ut notant Augustinus et Glossa (Eccli 14 *Ego ex ore altissimi prodivi*). Sed *fecisse lutum* dupliciter intelligi potest: —1^o, ut inungeret oculos caecos; —2^o, ut ex luto faceret oculos. Nam dupliciter potest esse homo caecus, vel per defectum visus vel per defectum oculorum. Primo modo intelligunt qui contemplantur in eo Dei potentiam quod luto suapte natura excaecante utatur ad illuminandum; secundo modo intelligunt qui notant Christum in eo se ostendisse Deum quod ex luto reparet et resarciat id quod deerat homini ex luto formato; ostendit

enim se eundem esse artificem qui luto tribuat spiritum. Ita Irenaeus⁸³, libro 5; Chrysostomus⁸⁴, homil.55, in illis verbis *ut manifestentur opera Dei*; et ibidem Theophylactus⁸⁵, Euthymius⁸⁶, Glossa⁸⁷ (Plutarco, libro de Isis et Osiris, dice que pintaban a Dios en figura de ancipitre (gavilán o cruz) porque a los cuerpos muertos que halla esta ave les echa tierra en los ojos).

6. **Vade et lava in natatoria Siloe.** De natatoria diximus c.5, in illo nomine *piscina*, idem enim est nomen in graeco utrobique. Fit haec piscina ex aquis fontis Siloe, de quo Hieronymus⁸⁸, Is 8[6], et piscina distat a Hierusalem integro miliario, ut scribit Aranda in Descriptione c.22, ubi de antiquissimo aedificio et aquis leniter decurrentibus per planam vallem. Huius piscinae fit mentio 2 Esdrae 3,15. Joannes explicavit nomen Siloe eo quod gereret typum Messiae, nam שִׁלּוֹחַ Siloah (quod habetur Is 8 [6]) significat *Missum*, et eodem modo debet scribi Gn 49 [10] *donec veniat qui mittendus est*, ut notat Lyppoman in Catena, et Forster in Dictionario, licet hebraei reclament et legant (שִׁילֹחַ) Silo, quod non significat *missum* neque *mittendum*. Sed pro Vulgata facit paraphrasis caldaica quae habet *donec veniat Messias*.

Sed dubitabis forsam quomodo eadem vox significet in Gn *mittendum* et apud Joannem *missum*. Respondeo non id esse discrimen significationis sed commodae explicationis, eo quod in Genesi sermo erat de re futura, et apud Joannem de re possessa, nam alioqui vox hebraea indifferens est, sicut hispanus eadem voce diceret hasta que venga el enviado y Cristo fue enviado.

Cur vero ille fons appellatus sit *missus* narrant quodam miraculo Dorotheaus in Synopsi et Epiphanius in vita Isaiae, de quo dubito quia ipse Isaias c.8, meminit huius fontis tanquam rei notae.

7. **Schisma erat inter eos.** Hoc nomen Interpres reddit *scisura*. 1Cor 11[18] *et dissentionem*. Jn 10[19].

8. **Quia propheta est.** Sine articulo. Nesciebat enim Jesum esse illum eximium prophetam.

⁸³ IRENAEUS LUGDUNENSIS, *Adversus haereses* 1.5, c.15. PG 7,1165.

⁸⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil* 56(55). PG 59,307.

⁸⁵ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn* 9,6. PG 124,46.

⁸⁶ EUTHYMIUS, *Comment in Jn* 9,6. PG 129,1310.

⁸⁷ WALAFRIDUS STRABUS, *Glossa ordinaria, Ev Jn* 9,6. PL 114,395.

⁸⁸ HIERONYMUS, *Comment in Isaiam* 8,6. PL 24,118.

9. *Extra Synagogam fieret*, id est excommunicaretur.

10. *Da gloriam Deo*. Videtur esse phrasis qua iudex utebatur dum confessionem veritatis exposceret. Ut Josue ad Acham (c.7,19), quasi diceret dic veritatem ad gloriam Dei.

11. *Si peccator est nescio*. Non dubitat sed irridet eos.

12. *Scimus quia peccatores Deus non audit*. Saepe Augustinus⁸⁹ ait non satis vidisse in hoc qui visum receperat, sed contra Augustinum multi obiiciunt id Ps 65 [18] *iniquitatem si aspexi*, etc, et Prv 1 [28] *invocabunt me et non exaudiam eos*, et c.28 [9] *qui declinat aurem suam ne audiat legem Domini, oratio eius erit execrabilis*. Is 1 [15] *cum multiplicaveritis orationem*, etc.

Maledixerunt ergo ei, id est conviciati sunt, non maleparlati. Vide significationem Graece 1 Cor 4 [12] et apud Basilium, Reg 24 breviori. [f.91]

—Dico 1°, certum esse alioqui quando peccatores exaudiuntur et quando non, quia rite confugientes ad Dei misericordiam proculdubio ab eo exaudiuntur non quidem ex merito precantium sed ex bonitate Dei. — Dico 2°, optime argumentari eum qui caecus fuerat, nec enim loquitur in communi de quavis oratione sed loquitur ad rem, quasi diceret vos dicitis hunc hominem esse peccatorem, *nos scimus quia hic homo peccator est*, quo verbo docetis Deum non facere miracula per homines peccatores; hoc ipsum ego dico, atque adeo Jesum non esse peccatorem quia negari non potest in me fecisse signum maximum quale non est auditum hactenus a principio mundi. Itaque legitimus sensus est Deum non audire peccatores ut miracula per eos faciat ad confirmationem et approbationem vitae eorum. Ita S. Thomas⁹⁰, Lyra⁹¹, Clitovaeus, Montanus, Theophylactus et Euthymius⁹², et patet ex praecedentibus, quia Christus se dicebat Filium Dei atque Messiam, et in confirmationem huius doctrinae faciebat miracula; ait ergo caecus: si hic homo esset peccator et deciperet nos nequaquam eum Deus audiret et per eum haec miracula faceret, quia opera quae facit testimonium perhibent de illo. Ut ipse ait, c.5[36]. Quamvis enim alioqui peccator possit signa facere vera, ut patet Mt 6, et 24 [23] sed non in confirmationem rei falsae. Et

⁸⁹ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.44*. PL 35,1718.

⁹⁰ THOMAS AQ., *In Jn Ev*, c.9. Ed. Vivès t.17, p.550.

⁹¹ GLOSSA ORDINARIA, *Jn 9,33*. PL 114,395.

⁹² EUTHYMIUS, *Comment in Jn 9,31*. PG °129,1315.

in hoc sensu dixit etiam vere caecus *non potest peccator haec signa facere*.

13. *Eiecerunt eum foras*, id est a concilio suo. Lyra explicat eiectum fuisse id est factum extra synagogam, id est excommunicatum, iam enim convenerant iudaei ut si quis confiteretur eum extra synagogam fieret.

14. *In iudicium Ego in hunc mundum veni*. Chrysostomus⁹³ et Theophylactus⁹⁴ explicat *in iudicium* id est in condemnationem multorum propter suam malitiam. Alii in iudicium discretionis, id est ut electi a reprobis distinguantur et separentur. Ita etiam Euthymius⁹⁵. Mihi magis placet ut Christus dicat que de su venida resulta un extraño juicio de Dios, nempe reprobatio iudaeorum et vocatio gentium.

15. *Si caeci essetis*. Augustinus⁹⁶ exponit quasi diceret: si os tuviérades por ciegos et crederetis vos indigere lucem non haberetis peccatum, quia non diceretis quia videmus sed quaereretis ducem. Aptior tamen videtur esse huiusmodi sensus: si vere essetis ignorantes nec legissetis Scripturas nec opera mea vidissetis non haberetis peccatum infidelitatis; sed cum non sitis ignorantes sed potius iactetis vestram perspicaciam, peccatum vestrum manet, id est quitada la ignorancia quedais por pecadores, aut manet tanquam in pertinacibus.

16. De spirituali sensu huius miraculi vide Ambrosium⁹⁷, libro 3 de Sacramentis, c.2, Augustinum⁹⁸, Theophylactum⁹⁹, Rupertum¹⁰⁰.

[f.91v]

C.10. Lectio 1 *Amen amen dico vobis*

Pro contextu huius capituli cum praecedenti vide Jansenium¹⁰¹, et melius infra, n.19.

⁹³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 59(58)*. PG 59,323.

⁹⁴ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 9,39*. PG 124,63.

⁹⁵ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 9,39*. PG 129,1319.

⁹⁶ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.44*. PL 35,1719.

⁹⁷ AMBROSIUS, *De Sacramentis l.3, c.2*. PL16,435.

⁹⁸ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.44*. PL 35,1713.

⁹⁹ Theophylactus, *Enarr in Ev Jn 9,6-7*. PG 124,47.

¹⁰⁰ RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment in Jn, c.9*. PL 169,591.

¹⁰¹ JANSENS, *In Concordiam, c.79*. Lugduni 1580, p.591.

1. ***Ille fur est et latro*** (κλέπτης καὶ λῆσστης). Idem videtur per haec duo nomina in praesenti significari, cum bona Augustini¹⁰² venia, quia quod ille tribuit latroni, nempe occidere, hoc postea n.10 tribuit furi, ubi dicitur *fur non venit nisi ut furetur et mactet et perdat*.

2. ***Qui autem intrat per ostium pastor est ovium***. Loquitur de eo qui intrat ad officium pastorale, alioqui enim non esset in universum vera sententia, neque enim oves sunt pastores. Porro intrare per ostium est recta ingredi, non per ambitionem et cupiditatem sed post Dei vocationem per viam rectam et denique per ipsum ovilis limen. Vide postea.

3. ***Huic ostiarius aperit***. Quaeret fortasse aliquis quomodo in allegoria ab ovili desumpta distinguantur ostiarius et pastor cum in proprio ovili non soleat esse claviger a pastoribus distinctus. Similis dubitatio occurrit statim cum dicitur ***et cum proprias oves emiserit ante eas vadit***, nam pastores potius subsequuntur oves suas; et quod Lyra et Jansenius¹⁰³ respondent, fortasse fuisse consuetudinem illius regionis ut pastores praecederent, facile refellitur ex Ps 77 [70] *de post foetantes accepit eum*; et 2 Regum 7,8 *ego te tuli de pascuis sequentem greges*. Quod vero significant Claudius et Cajetanus¹⁰⁴, nimirum pastorem maiorem praecedere solere ut feras abigat et pascua ostendat, pueros vero atque ministros subsequi (el rabadán y los zagales), optatum est potius quam inventum (y no viene a cuento, porque los pastores menores, como a los curas los desobligara de preceder), et tamen omnino Christus requirit ut spiritualis pastor quicumque ille sit sive maior sive minor praecedat oves. Dico igitur non opus esse omnia quae in parabola dicuntur vere inveniantur in re unde sumitur allegoria, et puderet quidem in huius propositionis probatione inmorari nisi nonnullos viderem valde ab illa abhorrere, v.gr. statim ac in Sacra Scriptura legunt *lapidem quem reprobaverunt aedificantes hic factus est in caput anguli*, necessarium putant non solum ut verum sit id quod Spiritus Sanctus per eam metaphoram significat, sed etiam ut metaphora fundetur in vera aliqua historia in qua lapis aliquis sit saepe ab aedificantibus reprobatus et tandem postea in eodem aedificio collocatus in capite anguli. Et hoc existimant pertinere ad perfectam Sacrae Scripturae veritatem. Sed contra est quod enigmata quae sunt suboscurae allegoriae fere numquam desumuntur ab aliqua re eiusmodi se habente a parte rei sed a ficta aliqua comparatione et haec eo solet esse gratior quo est insolentior et magis extranea. Et velle

¹⁰² AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.45*. PL 35,1721.

¹⁰³ JANSSENS, *In Concordiam*, c.79. Lugduni 1580, p.591.

¹⁰⁴ CAYETANUS, *In quatuor Evangelia, Jn 10*. Lugduni 1573, fol.418.

huiusmodi allegorias a Sacra Scriptura excludere ridiculum profecto est. Quod vero obiicitur de exactione veritatis, id equidem non satis intelligo, nam cum Sapiens ait Eccli 21,29, *in ore fatuorum cor illorum, in corde sapientium os eorum*, quis erit adeo stupidus ut ad illius allegoriae perfectam veritatem putet pertinere ut reperiatur aliquod animal quod habeat cor in ore, et aliud quod habeat os in corde? Ergo pari ratione non est necessarium ut reperiatur aliquis lapis primum reprobatus et postea procedente aedificatione in angulo collocatus, sed satis est ut id quod in materiali aedificio non contingit, in morali et figurato aptissimam habeat veritatem. Et similiter in praesenti non est opus ut in proprio ovili contingat id quod in spirituali requiritur et reperitur, nempe ut ostiarius pastori aperiat et ut pastor praecedat oves. Unde optime notant Chrysostomus¹⁰⁵, Theophylactus¹⁰⁶, Euthymius¹⁰⁷ et D. Thomas¹⁰⁸ Dominum in hoc pastoris officio contrarium pastoribus morem [f.92] descripsisse ut significaret non solum praecepto gubernandum esse sed etiam exemplo praeendum, sicut Spiritus Sanctus in suo rege Ps 2 [6...] quaedam depinxit satis aliena a regibus terrae ex quibus metaphora sumebatur ut virga ferrea et concionatoris officium. Et perpende obsecro huiusmodi allegoriae genus aptissimum esse et usitatissimum apud sapientes, nec enim offendetur aliquis si audiat spiritualementem pastorem non satisfacere officio si suas subsequatur oves sed oportere ut eas praecedat contra agrestium pastorum morem.

4. Sed fortasse in iis etiam pastoribus contingit ut postquam satis sunt ovibus noti, aliquando post eos libenter abeant oves et ad eius vocem non aliter moveantur quam solet aries assuefactus manducare panem etiam fugientem manum persequi. Sic ergo coelesti Corporis Christi pane nutritae oves libentissime sequuntur inescatae eum quem pastorem et escam suarum animarum esse norunt. Et utcunque sit constat Sacram Scripturam in pastoris metaphysici officio ponere non quod subsequatur sed quod praecedat oves, ut Ps 79 [2] *qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph*, ubi graeca vox (ὁ ποιμαίνων, ὁ ὀδητῶν) *ducem itineris* significat. Eadem enim habetur Mt 15 [14] *caeci sunt et duces caecorum, ὀδηγοὶ* et postea *caecus autem si caeco ducatum praestet ἐὰν ὀδηγῆ*. Probatur etiam ex Hieremia 17,16 *et ego non sum turbatus te pastorem sequens*.

¹⁰⁵ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 59(58)*. PG 59,324.

¹⁰⁶ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 10,5*. PG 124,66.

¹⁰⁷ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 10,4*. PG 129,1323.

¹⁰⁸ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.10*. Ed. Vivès t.17, p.554.

5. **Hoc proverbium dixit eis Jesus.** Graece ταῦτην παροιμίαν. Et *proverbii* quidem nomen aliquando in Sacra Scriptura simpliciter usurpatur pro usitata sententia quae dicitur in proverbium abiisse. Et sic legimus Ezechiel 16,44 *ecce omnis qui dicit vulgo proverbium in te assumet illud dicens sicut mater ita et filia eius*, quasi diceret que en fin Jesusalén es hija de madre. Dixerat enim radix tua de terra Chanaan, pater tuus amorraeus et mater tua Haetea. Aliquando vero, ut in praesenti proverbium non significat proverbialem loquutionem sed obscuram allegoriam seu testum sermonem, ut Jn 16,25 *haec in proverbiiis loquutus sum vobis, venit hora cum iam non in proverbiiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis*. Et statim v.29 *ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis*. Et quidem in hoc sensu multae ex parabolis Salomonis appellantur proverbialia. Vide illud c.1 n.6 ubi de suis proverbiiis Salomon ait *animadvertet parabolam et interpretaetionem, verba sapientum et aenigmata eorum*.

6. **Dixit ergo eis iterum Jesus Ego sum ostium.** Nonnihil habet difficultatis quod in explicatione vel applicatione parabola duo nomina tribuuntur Christo nempe *pastoris* et *ostii*, nam quamvis unumquodque per se ei recte conveniat utriusque tamen coniunctio videtur efficere ut parabola non satis cohaereat, nescias enim animo informare quomodo ostium et pastor idem sint et tamen pastori ingrediendum sit per ostium. Dico ergo aliquando duas diversas coniungi metaphoras. Ut Apoc 21 [9] *veni, ostendam tibi sponsam, uxorem agni, et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem, habentem portas 12*, etc. Sicut ergo tunc non possunt illae duae metaphorae tanquam partes eiusdem allegoriae simul explicari sed unaquaeque per se, ita in praesenti non debet ex utraque allegoriae applicatione componi integra quaedam applicatio, quia licet sit una et eadem allegoria, habet tamen duplicem applicationem [f.92v] quarum quaelibet per se est aptissima, et altera alteri non bene cohaeret ut inter se commisceri possint. Et nihilominus non propterea est duplex allegoriae sensus, quia sub eodem sensu habet locum utraque applicatio nam quod in communi dictum est nempe furem aliunde ascendere pastorem vero per ostium ingredi et ab ovibus agnosci et amari tanquam ducem et benefactorem. Ex hoc inquam proverbio licet primum colligere eos esse fures qui non ingrediuntur per Christum, siquidem ille est ostium respectu aliorum, et pari ratione licet colligere Christum esse bonum pastorem quia ille per ostium divinae electionis ingressus est et agnoscit oves et praecedit eas, etc, non tamen congruit si eidem Christo respectu sui applicetur ostii nomen. Quamvis non valde repugnet si quis contra contendat.

7. ***Dixit ergo eis iterum Iesus.*** Iam satis patet vis illius dictionis *ergo*, et est eiusmodi, Christus proposuit proverbium in communi; pharisaei non intellexerunt quorsum id diceret; ille ergo ut se magis explicaret duplicem adiecit proverbii applicationem.

8. ***Ego sum ostium. Quotquot venerunt fures sunt et latrones sed non audierunt eos oves; ego sum ostium, per Me si quis introierit salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.*** Haec est prima applicatio, in qua omnino considerandus est Christus tanquam ostium et non ut pastor. Et, pro constructione, nota graeca quaedam legere *quotquot venerunt ante me*, et lovanienses notant ita etiam haberi in quodam *ms* latino, atque ita multi putant subaudiendum id esse in nostra lectione non quod de prophetis loquatur Dominus ut manichaei putabant sed de Theoda et Juda de quibus Act 5,36, et de aliis similibus falsis prophetis aut fortasse etiam de philosophis qui sibi gloriam furari curabant potius quam discipulis prodesse. —Dico 1^o: illud *ante me* non esse de textu et omnino videri scolion margini adiectum et postea translatum ad textum in quibusdam codicibus.

—Dico 2^o, sensui potius officere quam prodesse; licet enim eam explicationem sequantur multi, non tamen est ad eam coarctandus textus, imo vero illa videtur extra rem quia si Christus ait *quotquot ante illum venerunt esse fures*, quomodo sub hac loquutione non comprehendit Moysen et Prophetas? Si dicas de illis etiam Dominum loqui quia nemo mundus a sorde et omne peccatum est quodammodo furtum, ergo similiter Apostoli non sunt dicendi pastores sed fures atque latrones et tamen eis convenit pastorum definitio nimirum quia per Christum sunt ingressi et eis Spiritus Sanctus aperuit et audierunt eos oves etc, id quod etiam suo modo de prophetis verificatur.

(Vide quod habemus¹⁰⁹ melius expensa super hunc locum Apoc. c.3, eptla 6, n.15,16,17, etc.).

Si vero dicas illam loquutionem *quotquot venerunt ante Me* intelligendam esse de iis qui venerunt usurpantes sibi officium et nomen Messiae, ut Theodas et Judas, in iis profecto non habet apte locum illa dictio *quotquot* cum fuerit paucissimi, et praeterea non se appellaret Dominus *ostium* respectu eius qui Messias videri vult quia hoc esset requirere ut qui vere Christus fuerit ingrediatur per Christum, quod supra reiectum est.

¹⁰⁹ LUIS DEL ALCÁZAR, *Vestigatio arcani sensus in APOCALYSI, c.3, pars 2, (Ecclesiae Laodiceae, Apoc 3,15ss)*. Antverpiae 1619 pp.275-283.

9. Sublata vero illa particula *ante Me*, sensus est optimus et constructio aptissima, si tamen ex ipsa parabola subintelligamus aliam particulam. Et valde nota Christum modo se facere ostium et nullo modo pastorem. Cum ergo dixisset in parabola *qui non intrat per ostium sed ascendit aliunde ille fur est et latro*, et modo in applicatione dicat *Ego [f.93] sum ostium; omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones*, quis non videat subintelligendam esse illam dictionem *aliunde* et sensum esse Ego sum ostium ovium per quod ingredi debent pastores, atque ita omnes quotquot aliunde venerunt vel omnes quotquot ex se venerunt et non per Me ingressi sunt, omnes hi fures sunt et latrones quia non sunt ingressi per ostium ovium. Et repetit *Ego sum ostium ovium* per quod illae ingrediuntur ad salutem sive per quod ingressae liberantur a lupis atque leonibus, oves enim in ovili sunt in tuto: per Me ingrediuntur et per Me etiam egrediuntur et pascua inveniunt. Ingressus praebet refugium, egressus pastum, et neutrum fieri potest nisi per ostium ovium, per Me debet ingredi qui non vult videri latro sed pastor.

10. Scio illa verba *ingredietur et egredietur* aliter explicari a Jansenio¹¹⁰ (et Titelmano) qui adducit Ps 120,8 *Dominus custodiet introitum tuum et exitum tuum*, et 1Reg 18[13] *egrediebatur et intrabat in conspectu populi*, Act 1,21 *omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus*. 2Reg 3,25 *ut sciret exitum tuum et introitum tuum et nosset omnia quae agis*; 3Reg 3 [7] *ego sum puer parvulus ignorans ingressum et egressum meum*. Sed nisi fallor haec phrasid in Sacra Scriptura non significat libertatem et securitatem sed conversationem, et in ovis metaphora non videtur habere locum eiusmodi phrasid in eo sensu, et illa verba quae adiecit Dominus, nempe *et pascua inveniet* nostram confirmat explicationem. Multi aliter applicat, nempe *ingredietur* ad meditando et *egredietur* ad operandum: ita Theophylactus¹¹¹, Augustinus¹¹² et Kaldaeus Ps 120 [8]; vel *ingredietur* ad fidem et *egredietur* ad gloriam, Augustinus¹¹³; vel *ingredietur* ad domesticos et *egredietur* ad alienos, Chrysostomus¹¹⁴; vel *ingredietur* ad meam divinitatem et *egredietur* ad humanitatem. Et facile est sexcentam huiusmodi multiplicare.

Non tamen desunt qui haec verba *ingredietur et egredietur* referant non ad ovem sed ad pastorem cum hac explicatione *ingredietur* tempore pacis et *egredietur* tempore belli, sed contextus manifeste postulat ut referatur ad oves in metaphora, tum quia Christus ait *ego sum ostium ovium*, tum

¹¹⁰ JANSENS, *In Concordiam*, c.79. Lugduni 1580, p. 593.

¹¹¹ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 10,9*. PG 124,70.

¹¹² AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 45*. PL 35,1727.

¹¹³ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 45*. PL 35,1726.

¹¹⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 59(58)*. PG 59,325.

quia *introire et salvari*, id est entrar y ponerse a salvo non est pastoris sed ovis, neque enim pastor ad ovile ingreditur ut se a lupis defendat, aut saltem non id spectat ad officium pastoris quod Christus describit sed potius animam suam ponere pro ovibus. Praeterea illa verba egredietur et pascua inveniet cogunt ut egressus non intelligatur esse ad pugnam sed ad pastum.

11. Explicato iam contextu optarem doceri quam apte competat Christo ostii metaphora; quamvis enim videam nihil nisi aptissimum ab ipso fuisse prolatum, et hanc metaphoram fuisse ex Genesi desumptam c.28,17, *vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta Coeli*, et quamvis etiam videam aptissime Paulum dixisse *per Ipsum habemus accessum ad Deum*, nihilominus fateor me non satis assequi huius metaphoraе energiam, quia per Christum quidem habemus accessum, quia Ipse nobis aperuit caelum olim clausum, sed qui aperit ostium non continue appellatur ipse ostium. Vide Apoc 21 [12s] ubi de portis civitatis sanctae Hierusalem. Sed fortasse ostium in praesenti non est quod architecti appellant lumen portae, id est apertura illa per quam lumen ingreditur, sed lapis ille ex quo fit porta, la portada, nam hic lapis praebet ingressum et efficit ut murus non continetur sed relinquat ingredientibus viam. Praeterea ei lapidi nititur ingrediens, tunc enim ingreditur cum est supra limen et limen est supra dicti lapidis pars in Apocalipsi, ubi non est sermo de valba sed de ostio, imo totum eiusmodi ostium videtur optime appellari limen et dividi in postes et subliminare et superliminare. Christus ergo est ostium seu limen ad quod accedere et cui niti debemus ut ad vitam ingrediamur sicut etiam est via super quam niti et ambulare debemus, id est, que el estribar en Él es ir derecho al Cielo, si debita ratione super eum nitaris. [f.93v]

Porro, ex dictis colligitur hac ratione neminem ex sanctis appellari posse salutis ostium neque viam ad coelum nisi solum Christum; non tamen negandum est quin apte Virgo appelletur Porta Caeli eo quod eius orationibus nitamur non tanquam praecio nostrae salutis sed tanquam precibus quae nobis praebent aditum, et sic etiam via recta ad vitam est sanctorum vita super quam non per confidentiam sed per imitationem recte pervenitur ad patriam.

12. Rogabis fosam cur metaphoram ostii non retulerim ad doctrinam rectam quam Christus docuit. Respondeo eum qui docet potius habere rationem ducis quam ostii, et per doctrinam non fuisset Christus omnibus bonis pastoribus ostium, quia proprie Christus non docuit prophetas, redemptio vero Christi

et merita omnibus semper fuere necessaria sive ovibus sive pastoribus, id est sive ad propriam salutem sive ad bene gerendum pastoris officium, et agnus occisus est ab origine mundi.

13. Nota praeterea dupliciter usurpari posse nomen pastoris: 1^o, pro eo qui praestare debet officium, et 2^o pro eo qui praestat. Primo modo negari non potest quin omnes praelati atque praepositi in dignitate constituti ut pontifices et iudices atque doctores sint ex officio pastores quamvis non sint per Christum ingressi, et eiusmodi proculdubio erant pontifices iudaeorum, scribae et pharisaei, unde Christus non loquitur de officio pastoris, id est de dignitate et potestate sed de praestando officio, atque ita legitimum pastorem etiam a Deo electum si ad praestandum officium non ingrediatur per Christum ipse appellat furem atque latronem.

14. ***Fur non venit nisi ut furetur et mactet et perdat; Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant; Ego sum pastor bonus.*** Haec est 2^a parabolae applicatio, in qua nulla ratione faciendus est pastor et ostium simul, sed solum bonus pastor, sive ut est in graeco duplici cum articulo *el pastor, el bueno*, atque adeo per ostium divinae electionis ingressus (In lexico graeco dicitur apud Homerum et Platonem nomen ποιμένοϛ esse epithetum regum. Et Naziancenum optime explicare cur sic dicatur Christus). Sed magis urget modo discrimen inter se et fures et mercenarios. Et sic etiam magis patet quod supra diximus n.3, non opus esse ut ea quae in metaphoricis pastore requiruntur desumantur omnia ex proprio officio pastoris ovium irrationalium, quia stultum esset pro pecudibus animam suam dare eum cuius sunt oves propriae. Unde patet in metaphoricis pastore id quod nemo sanus optaret in proprio. Porro mercenarium Dominus appellat eum qui quamvis sit per ostium ingressus (alioqui enim esset latro) sed non amat oves ut suas, non diligit subditos ut filios, atque adeo non audet se periculo mortis exponere pro illorum salute. Vide 1Pt 5`[2ss], et Ezech 34 de principe pastorum et pastore unico Davide. Et contra malos pastores vide Hierem 23,1 et Ezech 13,3.

15. ***Cuius non sunt oves propriae.*** Videtur ex hoc sequi omnes pastores praeter Christum esse mercenarios, quoniam oves non sunt illorum propriae sed Christi. Unde ipse ait Petro, In ultimo [21,15ss], *pasce oves meas*, quasi diceret non tuas sed meas. Respondeo bonum pastorem induere Christum ut iam sint oves ipsius quia sunt Christi. Vide illud Pauli *vivo ego iam non ego vivit vero in me Christus*, [Gal 2,20] vel quod simplicius

est, Petro erant oves propriae si non per emptionem saltem per amorem ut supra explicatum est.

16. **Et dispergit oves.** Lyra¹¹⁵ exponit sic: dispergit, id est recedere facit ab unitate ecclesiastica, sed hoc esset rapere et occidere, unde aliter dicendum est, nempe lupum, id est haereticum aut tyrannum quasdam oves rapere et quasdam dispergere dum singuli fugiunt dispersi, [f.94] et coguntur multa bona quae faciebant relinquere.

17. **Et non pertinet ad eum de ovibus.** Id est non valde curat de salute ovium. Mc 4 [38] *Magister non ad te pertinet quod perimus.* Lc 10 [40] *non est tibi curae quod soror mea reliquit me solam.* Idem enim est in his locis verbum in graeco.

18. **Et agnosco oves meas.** Vide ad Tim 2,18s.

Sicut novit Me Pater et ego agnosco Patrem. Cajetanus¹¹⁶ et Jansenium¹¹⁷ continuant cum praecedentibus, quasi diceret inter me et oves meas est mutua cognitio sicut inter me et Patrem meum, non per aequalitatem sed per similitudinem, ut c.6 [57] *sicut misit Me Pater et ego vivo propter Patrem* etc. Sed Chrysostomus¹¹⁸, Theophylactus¹¹⁹ et Euthymius¹²⁰ et plerique codices novam incipiunt sententiam, ut sit constructio huiusmodi: ego agnosco Patrem sicut ipse novit me et propterea animam meam pono pro ovibus meis. In qua phrasi agnoscere est diligere Patrem et libenter eius voluntatem facere. Vide id ad Rom 8 [29] *quos praescivit* et illud 2 Tim 2 [19] *cognovit Dominus qui sunt eius.* Amos 3 [2] *tantummodo vos cognovi ex omnibus cognitionibus terrae,* et apud Mt [7,23] *non novi vos.* Oseae 13 [5] *ibi cognovi te in deserto (Virum non cognovi).* Cur autem non dicat animam meam ponam sed in praesenti *pono*, duplex est ratio: nempe certitudo decreti et brevitatis temporis quod aberat.

19. Explicata iam duplici parabola applicatione licet aptius connectere illam cum capitis praecedentis historia, nam cum Dominus continet sine ulla interruptione sermonem, omnino videtur in hac parabola respicere caecum illum cuius oculos aperuerat, tanquam ovem, et pharisaeos tanquam falsos

¹¹⁵ GLOSSA ORDINARIA, *Jn 10,11.* PL 114,397.

¹¹⁶ CAJETANUS, *In quatuor Evangelia, Jn 10.* Lugduni 1573, fol.421.

¹¹⁷ JANSSENS, *In Concordiam, c.79.* Lugduni 1580, p.596.

¹¹⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 60(59).* PG 59,329.

¹¹⁹ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 10,15.* PG 124,74.

¹²⁰ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 10,14.* PG 124,1327.

pastores et vere fures atque latrones, et se respectu illius caeci tanquam optimum pastorem, quasi diceret merito caecum illum qui iam videbat non se credidisse pharisaeis quia non per ostium ingrediebantur ad eum docendum cum non se divinae sapientiae subiicerent, neque eis Spiritus Sanctus aperiret, non verum Messiam quaererent, neque in eo confiderent. Atque adeo illos non esse vere pastores neque de illius oviculae salute curare sed potius id agere ut eam ovem furarentur, mactarent et perderent. Se vero esse pastorem optimum per ostium divinae vocationis ingressum et de illius oviculae salute sollicitum qui se furori pharisaeorum tanquam lupis atque leonibus obiiceret ut ovibus provideret, quia agnoscebat eam et amabat, atque adeo iure optimo ovem illam quae non agnoverat aliorum voces, agnovisse Christi vocem et ei se credidisse. Hic est proculdubio contextus. Sed revertamur ad ea quae sequuntur.

20. Propterea me diligit Pater quia ego pono animam meam ut iterum sumam eam. Plerique censent nullo modo concedi posse mortem Christi esse rationem ut diligatur a Patre, atque adeo querendum putant quomodo ab eo sensu declinetur. —Lyra et Cajetanus¹²¹ videntur hac ratione construere: quia ego pono animam meam propterea me diligit Pater ut iterum sumam eam, id est, propterea mihi vult gloriam resurrectionis. Coacta certe constructio. —S.Thomas¹²² dilectionis verbum explicat non per affectum sed per effectum sicut Deus dicitur irasci et misereri quia facit opera quae ex his affectibus sequuntur in hominibus. Itaque D. Thomae sensus est propterea me diligit Pater, id est, propterea se mihi valde benevolum ostendit et tribuit mihi omnes gentes in haereditatem quia ego pono animam meam. Et facit locus Isaiae 53 [10] *si posuerit pro peccato animam suam videbit semem longevum et voluntas Domini in manu eius dirigetur* etc atque ita cum Dominus dixisset *fiet unum ovile et unus pastor*, in quo significaverat se universi orbis pastorem declarandum esse aptissime subiicit rationem cur adeo diligatur a Patre, id est, cur ei se Pater [f.94v] adeo benevolum ostendat, cur adeo liberalem in ovium multiplicatione, et ait propterea me diligit Pater quia ego pono animam meam, quasi diceret, propterea mihi vult tantum bonum. —Tertia explicatio est Jansenii¹²³ qui eam ad verbum desumpsit ex Titelmano, et uterque haec verba explicant ut sonant non solum de effectu sed etiam de amoris affectu. Et haec mihi explicatio videtur esse verissima sed indiget maiori discussione.

¹²¹ CAJETANUS, *In quatuor Evangelia, Jn 10*. Lugduni 1573, fol.421.

¹²² THOMAS AQ., *In Jn Ev c.10*. Ed Vivés t.17, p.559.

¹²³ JANSSENS, *In Concordiam, c.79*. Lugduni 1580, p.597.

21. Discussio vero debet circa hoc versari an vere propter Passionem Christus diligatur a Patre in proprio sensu, nam si ita est consequens erit eum esse sensum verborum Christi. Sed aiunt non id esse verum quia sequeretur Christum propter Passionem intensius amari. —Ego vero, contra, sic argumentor: impossibile est ut Deus non diligat amore complacentiae id quod iudicat esse optimum, sed nihil Deus vidit quod adeo illi placeret sicut Christus crucifixus; ergo propter eam rationem summo amore prosequitur Christum. Neque tamen hinc absolute sequitur Christum intensius amari quam amaretur si non subiret mortem, quia per novam amoris rationem non est intensior amor infinitus, et adhuc omnino propter novam rationem maxime diligitur quia haec est sufficiens ratio ut ametur et propter eam amatur, quamvis ea etiam sublata nihilominus amaretur, quia sicut eiusdem electionis potest esse multiplex ratio et quaelibet per se sufficiens, ita etiam immensi amoris. —Dico 2°, Christum, qua homo est, id est, praecisa unione Hypostatica magis amari propter summae charitatis actus quam amaretur sine illis, pro quo considera prius Christum cum gratia infusa et caeteris omnibus donis habitualibus in illa summa intensione sed finita, et statim considera illum se libenter offerentem morti propter Patrem, dico Christum magis amari propter hunc vel similem actum quam sine illo, et magis propter tres actus similes quam propter duos, et magis propter actum longum quam propter brevem, quia nos placemus Deo quando operamur iuxta intensionem habitus, et per eiusmodi actus magis diligimur quandoquidem meremur augmentum gratiae; ergo Christus qui semper operatus est iuxta intensionem gratiae finitae quam habebat, magis diligebatur a Deo propter actus quam sine illis. Sed dices Christum non esse neque unquam fuisse in statu promerendi sibi gratiam atque adeo aliam esse rationem de nobis ac de illo. Respondeo ex hoc ipso magis elucidari veritatem quia status promerendi facit ut actui respondeat praemium, sed non facit ut actus sit bonus, nam per se est bonus vel malus, atque adeo sicut damnati propter novas blasphemias magis displicent Deo, quamvis non magis puniantur, sic Christus propter novam oblationem magis placuit quamvis non magis remuneretur. Quod si obiicias Christum non magis diligere per novos actus quia illi potius pertinent ad extensionem quam ad intensionem, atque adeo non magis diligi si non magis diligit. Respondeo huiusmodi extensioni quo quis plus deservit Deo intensiorem correspondere amorem in Deo, sicut de facto intensior gradus gloriae respondet ei qui tres facit actus aequales quam si fecisset unicum caeteris paribus, nam si plus rependit Deus, ergo magis diligit. Hinc patet quomodo in proprio sensu verum sit quod Lc ait c.2 fine *proficiebat puer aetate ac gratia coram Deo*, id est in dies magis placebat Deo; quod vero attinet ad praemium id sibi promerebatur quod Deus volebat ei correspondere. Et quoniam verisimile est

non omnes [f.95] actus quos beati habent esse necessarios sed multos liberos quibus ipsi de novo placent Deo, hinc efficitur Deum qui ab initio intuetur omnia infinito prosequi amore singulos beatorum quia videt infinitos actus quibus sibi deinceps illi intensius amari promerebunt, et manet nihilominus discrimen inter eos ex parte intensionis singulorum actuum ut respondeat uni si ita loqui fas est altioris generis amor ex parte obiecti iuxta proportionem beatitudinis singulorum in qua nullum est incrementum.

22. *Ut iterum sumam eam.* Haec verba facessunt in aliorum explicationibus quia etiam in ea quae tribuitur D. Thomae difficile est quomodo Christo tribuatur haereditas gentium ex eo quod ponit animam suam ad hoc ut iterum assumat eam. Communis explicatio est quasi diceret propterea me diligit Pater quia pono animam meam, non vero eam pono in aeternum sed ut iterum sumam eam per resurrectionem. Sed textus postulat ut quantum fieri potest non dividatur ratio sed simpliciter accipiatur ut sonat, nimirum Christum a Deo diligi propterea quod ponit animam suam ut iterum sumat. Et videtur quidem esse additum diminuens rationem amoris nam plus est mori pro Deo sine spe statim resurgendi quam cum ea spe, atque adeo non apparet quomodo pertineat ad amoris incrementum quod propterea quis diligatur quia ponit animam ad resumendum iterum eam. Respondeo optime habere ut sit additum diminuens nam grati animi est suum extenuare obsequium quo magis eluceat bonitas Dei in eo sibi obsequio complacentis, quasi diceret videte quam sit bonus et gratus Deus qui me maxime diligit propterea quod pro illo me obicio morti cum tamen non tam moriar quam tantillum dormiam et non tam perdam vitam quam in manibus fidelissimi depositarii deponam, ut iterum brevi accipiam cum maximo foenore. *In manus tuas commendo* etc.

23. *Hoc mandatum accepi a Patre.* Continuatio est huiusmodi quasi diceret hoc mandatum accepi a Patre et propterea pono animam meam, non quod non possim me defendere sed quia libenter facio quidquid mihi praecipit Pater.

24. *Dissensio iterum facta est.* Alludit ad illud c.7,43 *dissensio itaque facta est in turba propter eum.*

Lectio 2

Facta sunt autem encaenia Hierosolymis

1. Ad aliam historiam transit Evangelista, scilicet a mense septembri ad hiemem nam hucusque narrabat ea quae contigerunt in festo scenopogiae vel

paulo post, nunc vero dicit *facta sunt autem encenia et hiems erat*. Encenia nomen dedicationem significat rei novae aut innovatae, ut dedicationem imaginis Danielis 4 [c.3], atque ita ἐνκαινίζειν, encenizare, est dedicare, ut dedicavit templum Domini rex Salomon, ad Hebr 7, et 3Reg 8. Porro quadruplex dedicatio celebrari poterat: 1^a, Salomonis, 2^a, Zorobabelis, 3^a, Machabeorum, 4^a, Herodis.

—De 1^a intelligit Nonus sed manifeste fallitur, quia si memoria illius diei celebraretur incideret in septembrem, ut patet 3Reg 8,2, atqui mense septimo nondum est hiems.

—De 2^a intelligunt Chrysostomus¹²⁴, Theophylactus¹²⁵, Euthymius¹²⁶, Erasmus et Cajetanus¹²⁷, et facit quod in rigore nomen hiemis comprehendit februarium et eo mense facta est illa dedicatio, ut patet 1Esdr 6,15, et apud Josephum¹²⁸ libro 11, c.4. (y en aquella tierra febrero era frío porque caía antes que el nuestro, de ordinario por la cuarta de las lunas et constat pues en mediado marzo se calentaba al fuego in atrio). [f.95v] Ubi nota dupliciter vitiatum locum Josephi: –1^o in eo quod mensem Adar appellat undecimum, cum constet eum esse duodecimum, id est non ianuarium sed februarium, id enim aperte dicitur in libro Esther c.3 et 8 et 16, nisi quis respondeat duodecimum iudaeorum saepe incidere in undecimum nostrum aut in magnam illius partem atque id fuisse a Josepho significatum (Imo vero duodecimus illorum saepe tardior est et ingruit in nostrum martium, id est, in annum sequentem, ut patet postea n.3). Sed de hoc postea. –2^o vitiatus est locus in eo quod ait instaurationem illam fuisse celebratam 23^o die mensis anno Darii nono, cum Esdr 3 [6,15] dicatur absolutam fuisse aedificationem anno sexto Darii in mense Adar die tertia, et factam fuisse dedicationem domus Dei in gaudio. Quod si quis respondeat fortasse opus fuisse absolutum die 3^a et celebratam dedicationem die 23^a saltem non poterit similiter annorum discrimem conciliare.

2. Sed redeundo ad nostram quaestionem, 2^a Dedicatio facta fuit in Februario, et consequenter si eius diei memoria celebraretur incideret in eundem mensem quotannis; atqui a quovis die Februarii et praesertim a 23^a (quam assignat Josephus) videtur parum temporis manere usque ad 15^{am} lunam Martii atque ita non debere in eas angustias cogi quae deinceps narrat Evangelista, nam in fine huius capituli ait Dominum abiisse iterum trans Jordanem et ibi mansisse

¹²⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 61(60)*. PG 59,336.

¹²⁵ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 10,22*. PG 124,78.

¹²⁶ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 10,22*. PG 129,1331.

¹²⁷ CAJETANUS, *In quatuor Evangelia, Jn 10*. Lugduni 1573, fol.422v.

¹²⁸ FL. JOSEPHUS, *Antiquitatum, l.11, c.4*. Basileae 1554, p.288.

et multos ad eum venisse. Et c.5 accersitum esse ut Lazarum sanaret et invenisse eum ante quatuor dies obiisse. Postea resuscitato abiit Dominus in regionem iuxta desertum et morabatur ibi cum discipulis suis, et tandem c.12, sexto die ante Pascha venit Bethaniam. Quae omnia non videntur intra adeo paucos dies contigisse, neque satis videtur si forsam aliquis eo anno interponat mensem embolimum inter Februarium et Martium. Praeter quam quod supponimus gratis sollemnem et annuam fuisse celebrationem illius secundae dedicationis cum id non possit probari neque ex Sacra Scriptura neque ex Josepho aut alio simili auctore.

3. —In sola 3^a Dedicatione legimus institutum fuisse ut dies ille quotannis celebraretur, ut patet 1Machab 4,52[59], et vigeat consuetudo etiam post Christi adventum, ut testatur Josephus¹²⁹ 12 Antiquitatum c.10, verum ex eisdem locis constat id festum incidere in 25 diem mensis noni seu Novembris, et Cajetanus non audet Novembrem hiemi tribuere, veritus ne de furto conqueratur autumnus. De hoc scrupulo non curarunt Glossa, Beda¹³⁰, S. Thomas¹³¹, Lyra¹³², Titelmanus neque Jansenius¹³³, qui de tertiae dedicationis festo interpretantur loqui Evangelistam. Et sunt qui velint Cajetano satisfacere et stricte explicare hiemis nomen dicentes menses nostros non respondere adaequate mensibus hebraeorum atque ita fieri posse ut cum ultima parte novembris illorum concurrat iam December noster qui proprie ad hiemem spectat, constat enim hebraeorum menses plerumque sero incipere si cum nostris conferantur quia in Paschae celebratione paucissimis diebus discrepamus a Paschate iudaeorum, nempe ad summum 7 diebus, et illi faciunt Pascha 14^a luna Martii et nobis plerumque incidit in Aprilem, nam vagatur 22^{um} diem Martii et 25 Aprilis. Unde certum est Novembrem iudaeorum saepe incidere in nostrum Decembrem et illorum Februarium in nostrum Martium, atque ita potius merito obiicitur Cajetano quod 2^{ae} dedicationis dies non tam pertineret ad hiemem quam ad principium veris. Sed oporteret ut pressius urgeremus astrologicis rationibus examinare illius ultimi anni praedicationis Christi [f.96] lunam et epactam et embolismos, quae longioris sunt considerationis atque ita satis est si dicamus nomen hiemis non adeo stricte accipi ut opponitur contra autumnum, nam et nobis integer annus dividitur en invierno y verano.

¹²⁹ FL. JOSEPHUS, *Antiquitatum*, l.12,c.10. Basileae 1554, p.326.

¹³⁰ VENERABILIS BEDA, *In S. Jn Ev expositio* 10,22. PL 92,770.

¹³¹ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.10*. Ed Vivès t.17, p.560.

¹³² GLOSSA ORDINARIA, *Jn* 10,22. PL 114,397.

¹³³ JANSSENS, *In Concordiam*, c.93. Lugduni 1580, p.665.

4. De 4^a dedicatione nullus meminit in praesenti, nam quamvis initio fuerit mirum in modum celebrata sed forsam non renovabatur eius memoria quotannis, neque constat in quem incideret diem, cum solus dicat Josephus¹³⁴ libri 15 Antiquitatum in fine eam incidisse in diem natalis regni Herodis.

5. ***Et hiems erat.*** Vide quod circa hanc circumstantiam notent Augustinus¹³⁵ et Euthymius¹³⁶ iuxta regulam Scripturae quam tradit Gregorius 2 Moralium c.2.

6. ***In porticu Salomonis.*** Convenire videntur omnes interpretes hic nullam tunc stetisse porticum a Salomone constructam, sed dici porticum Salomonis quoniam altera similis aedificata est in eodem loco. Sed quae pars aedificii hoc nomine notetur, id varie exponunt. S. Thomas¹³⁷ designat locum in quo Salomon peracta dedicatione oravit. Titelmanus et Jansenius¹³⁸ sub dubio aiunt esse locum ubi Salomon loquebatur populo aut ubi manebat dum sacrificia fiebant; et suspicantur etiam fortasse porticum hanc esse illam de qua 3 Reg 6 [3] *et porticus erat ante Templum 20 cubitorum longitudinis iuxta mensuram latitudinis Templi.* Sed constat eos male coniectasse quia ea porticus est quae dicitur vestibulum et erat interior atrio sacerdotum, quare neque Salomon ad ea ingrediebatur. Ut ergo ad veritatem propius accedamus videndus est Josephus¹³⁹ 15 Antiquitatum c.14, et 6 De bello c.6, et Beda libro De templo Salomonis¹⁴⁰ c.16, ex quibus constat Salomonem profundissimam vallem asseribus complanasse et in ea aedificasse porticum ad orientalem partem Templi, postea vero longo temporis decursu maiorem vallem fuisse in circuitu Templi complanatam et omni ex parte aedificatas porticus. Ea ergo porticus cuius planitiem maximis sumptibus aedificaverat Salomon merito semper Salomonis nomen retinuit; an vero haec porticus pateret gentibus vel ad Israelis atrium pertineret, nihil certi adducere possum. Imo neque video unde constet ipsam porticum a Salomone aedificatam non perstitisse usque ad Christi tempora, nam quae Caldae templum solo aequaverint, et postea Herodes secundi templi fundamenta revulserit et tertium multo amplius aedificaverit, nihil horum prohibet quin aliqua manserit porticus ex iis quas primum aedificaverit Salomon sive in atrio Israelis sive in atrio gentium.

¹³⁴ JOSEPHUS, *Antiquitatum*, l.14, c.14. Basileae 1554, p.426.

¹³⁵ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.*48. PL 35,1741.

¹³⁶ EUTHYMIUS, *Comment in Jn* 10,22. PG 129,1331.

¹³⁷ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.10.* Ed Vivès t.17, p.560.

¹³⁸ JANSSENS, *In Concordiam*, c.93. Lugduni 1580, p.666.

¹³⁹ JOSEPHUS, *Antiquitatum iudaicarum*, l.15, c.14; *De bello iudaico*, l.6, c.6. Basileae 1554, p.422;755.

¹⁴⁰ VENERABILIS BEDA, *De Templo Salomonis liber c.16.* PL 92,774.

7. **Quousque animam nostram tollis?** Graece ἄρρετς id est suspensam tenes. Unde sensus nostrae lectionis non est quousque occides animam nostram, sed tollere ponitur pro sublevare, ut patet ex graeco et Euthymio¹⁴¹.

8. **Loquor vobis et non creditis.** Graece εἶπον, quasi diceret ya os lo he dicho y no lo quereis creer, neque solum dico sed etiam efficaciter probo quia *opera quae facio testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis quia non estis de ovibus meis.* Ut supra c.8 [47] *ideo vos non auditis quia ex Deo non estis.* Neque tamen causam refert in divina reprobatione sed potius in eorum peccata, quasi diceret haréis como quien sois.

9. **Non peribunt in aeternum.** Videtur dicere peribunt ad tempus sed non in aeternum. Ita intellexit Glossa interlinealis. Verum ex phrasi Sacrae Scripturae constat nihil hic affirmari sed omne tempus negari, ut *non perire in aeternum* sit numquam perire. Sic Jn 13 *non lavabis mihi pedes in aeternum. [f.96v]* Ps 118 [93] *in aeternum non obliviscar iustificationes tuas;* Mc 3,29 *non habebit remissionem in aeternum;* Jn 4,13 *non sitiet in aeternum;* et c.11,26 *non morietur in aeternum;* et c. 8,52 *mortem non gustabit in aeternum;* 1Cor 8,13 *non manducabo carnem in aeternum.* Et ex hac phrasi Scripturae patet quem sensum habeant id Ps 14[5] *non commovebor in aeternum,* Te Ps 30[2] *in te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.*

9.[sic] **Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est.** Chrysostomus¹⁴² et graeci legunt *qui dedit mihi maior omnibus est* et eam lectionem posuit in bibliis regiis Montanus¹⁴³ non solum in lectione graeca et syriaca sed etiam in latina. Pro communi tamen latinorum lectione manifeste sunt Hilarius libro 7 De Trinitate¹⁴⁴, et Augustinus¹⁴⁵ hic, et omissis explicationibus Titelmani et Erasmi¹⁴⁶ qui *hoc quod datum est Filio* putant esse oves, sensus communis et germanissimus est dixi neminem mihi erepturum de manibus oves quoniam Patri meo nemo potest eripere, ergo neque mihi qui habeo eandem cum Patre naturam et potestatem, quia quod mihi Pater dedit est res omnium maxima qua ipse maiorem non habet, scilicet substantiam suam quam dedit mihi per aeternam generationem; cum autem Pater nihil maius habeat eo quod dedit mihi, sequitur me eandem habere cum illo potestatem. Ita omnino exposuit

¹⁴¹ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 10,24.* PG 129,1334.

¹⁴² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 61(60).* PG 59,338.

¹⁴³ NOVUM J.C. *Testamentum complectens...e Syriaco et Ariae Montani translationes et Erasmi Roterdami...*, *Jn 10,29.* Antverpiae 1616, p.265.

¹⁴⁴ HILARIUS PICTAVIENSIS, *De Trinitate, l.7, 22.* PL 10,217.

¹⁴⁵ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.48.* PL 35,1743.

¹⁴⁶ DESID. ERASMUS, *Jn 8,29, nota.* Opera omnia, Lugduni 1705, col.384.

Hilarius 7 De Trinitate atque ita firmiter ut putet non posse aliter intelligi. Imo ita expliciter Concilium Generale Lateranense¹⁴⁷ (sub Innocentio III anno 1215) c.2 et refertur c.*Damnamus de Summa Trinitate*. Ubi ita dicit. Pater enim ab aeterno Filium generando suam substantiam ei dedit iuxta id quod ipse testatur *Pater quod dedit mihi maius omnibus est*. Unde patet non esse recedendum ab hac lectione neque ab hac expositione.

10. *Ego et Pater unum sumus*. Arriani hunc locum explicabant non de unitate essentiae sed de concordia voluntatum. Erasmus¹⁴⁸ in id 1Jn 5[8] *et hi tres unum sunt* ait hoc testimonio quomodo prosterneretur Arrius nisi doceas unum in literis sacris non appellari nisi quae sunt eiusdem substantiae. Sed cum sint innumera loca Scripturae in quibus non unitatem essentiae sed consensum mutuaque benevolentiam significet, ad confirmandam opinionem orthodoxi valeant, ad retundendam haeretici pertinaciam non video quantum valeat. Deinde probat Christum loqui hic de concordia quam habet cum Patre, quia cum statim accusaretur blasphemiae, non respondet ad id quod dixerat se esse unum cum Patre sed ad id quod Deum appellabat Patrem suum seque singulari modo vocabat Filium Dei, et conatur confirmare ex Jn 17[11] ubi Christus ait *Pater sancte serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi ut sint unum sicut et nos, ut et ipsi in nobis unum sint*. —Nihilominus dico certum esse Christum loqui de propria essentiae unitate, ut explicat Concilium, inter quae vide epistolam Concilii Sardicensis ad omnes episcopos quam refert Theodoretus¹⁴⁹ libro 2 Historiae c.8. Atque ita optime Patres hoc testimonio utuntur contra Arrianos, inter quos vide Hilarium 7 de Trinitate c.8.

Sed perpendamus obiectiones Erasmi: —ad 1^{am}, Augustinus libro 2 Contra Maximinum arrianorum episcopum c.12, et libro 3, c.22, urget Maximinum ut proferat aliquem locum ex Veteri aut Novo Testamento ubi unum dicantur res diversarum naturarum, nam illud capitis 17 *ut et ipsi in nobis unum sint* explicat bene Augustinus¹⁵⁰ ut inter se sint unum in Domino quia nemo audebit dicere aliquem hominem praeter Christum quantumvis sanctum, unum esse cum Deo, non quod unum non pertineat saepe ad concordiam, ut 1Cor 3[8] *qui autem plantat et qui rigat unum sunt*; ad Gal 3[28] *omnes vos unum estis in Christo*, sed quod includat etiam unitatem naturae (*Cor unum et anima una* Act [4,32]). Quod si obiicias id 1Cor 6,17 *qui adhaeret Domino unus spiritus est*. Respondeo [f.97] manifestam esse ibi catachresim et propter sermonis correspondentiam licuisse id quod per se non liceret nam

¹⁴⁷ CONCILIUM LATERANENSE IV, c.2. Dentzinger 432.

¹⁴⁸ DESID. ERASMUS, *1 Jn* 5,8, nota 4. Opera omnia, tomo 6, Lugduni 1705, col.1080.

¹⁴⁹ THEODORETUS CYRENSIS, *Ecclesiastica Historia*, 12, c.6. P.G. 82,1015.

¹⁵⁰ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract* 90. 184 35,1920.

in applicatione comparationis saepe iis utimur phrasibus quae per se essent absurdae, ut si quis exponat illud *sint lumbi vestri praecinctorum*, et dicat ea phrasi prohiberi laxam vivendi rationem, non mirum erit si dicat etiam oculo cingendos et linguam etc. qua tamen phrasi, per se uti non liceret. Adde quod D. Thomas ait nomen *spiritus* in illa phrasi esse additum diminuens, nam esse unum spiritum est quasi unum spiritualiter, id est non vere et proprie sed quodammodo. Christus vero absolute ait *ego et Pater unum sumus*, quae phrasis praesertim in eo qui de se ipso loquitur omnino supponit aequalitatem et omnino maius aliquid quam possit competere creaturae cum Deo. — Sed dicat fortasse aliquis ad huiusmodi loquutionem non requiri identitatem ut ita dicam numericam sed satis esse veluti specificam, una cum concordia voluntatum, ut ex supradictis exemplis colligitur. Respondeo id satis esse ad perfectissimam unitatem in divinis probandam, constat enim si Deus genuit Filium sibi aequalem et eiusdem naturae, eum non posse esse alium Deum sicut filius hominis est alius homo. Atque adeo satis fuit Augustino si ostenderet numquam absolute appellari unum ea quae sunt diversae naturae. Sed obiicit ille sibi id 1Jn 5 *spiritus, aqua et sanguis et hi tres unum sunt*, et Respondet manifeste ibi sermonem esse non de unitate quam habent inter se sed de unitate Sacramenti et significationis. Adde quod etiam ibi correspondentia comparationis permisit eam loquendi licentiam.

12. — Ad 2^{am} Erasmi obiectionem Castro¹⁵¹, libro 4 Contra haereses, verbo *Deus*, haeresi 6, Respondet non esse rationem idoneam si de concordia intelligatur, quia probare vult Christus neminem posse rapere de manu sua quia nemo potest rapere de manu Patris. Sed quantum ad hoc, meo iudicio optima esset ratio, nam si duo sint valde amici, ex alterius potentia potest alter merito gloriari, (et dicere en haberme dado su amistad me ha dado lo sumo, y así somos ya una misma cosa et cum nemo possit rapere de manu eius, ergo neque de mea;) sed saltem efficacior est perfecta identitas quam amicitia ad probationem, et sine identitate naturae superbe admodum loqueretur Christus dicens *ego et Pater unum sumus*. Adde quod iudaei quantumvis hebetes ex his verbis intellexerunt Christum se facere aequalem Deo, neque obiecerunt quod sibi amicitiam magnam sed quod divinitatem assumeret; unde quamvis unitatis nomen fortasse ipsi non intellexerunt de perfectissima identitate naturae, saltem evidens est eos intellexisse eo nomine Christum sibi aequalitatem cum Deo assumere et eiusmodi saltem unitatem qualis est inter duos homines eiusdem naturae et valde amicos, alioqui in quo consistebat blasphemia (Dices: en llamar a Dios su Padre, ut postea patet;

¹⁵¹ ALPHONSUS A CASTRO, ZAMORENSIS, *Adversus omnes haereses*, l.14, l.4, haeresi 6. Antverpiae 1565, f.145v.

atqui Deum appellare Patrem potius habebat speciem pietatis in quovis iusto, nisi diceret ego et Pater unum sumus, in quo blasphemaret nisi esset naturalis Filius Dei).

Porro Christus, ut videbimus postea non corrigit eorum intellectum sed potius confirmat; ergo id sibi assumpserat quod illi intellexerant et amplius. Unde hoc potius veram confirmat explicationem, ut optime argumentatur Hilarius.

13. Ad 3^{am} Respondeo notandam esse utilissimam regulam ad intelligentiam Scripturae, eam nempe vel enunciando vel exhortando solere proponere similitudinem rerum multo maiorum quam sunt illae ad quas afferuntur, non ut significant aequalitatem, sed ut proponat perfectissima exemplaria vel ut intelligamus rem illam multo maiorem esse quam prima facie videbatur, et hoc sive in bonum sive in malum. Exhortando, ut Mt 5[48] *estote perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est*. Lc 6[36] *estote misericordes sicut et Pater vester* etc. Enunciando, ut Jn 6[58] *sicut misit me vivens Pater* etc. Ut ostendat dignitatem bene manducandi panem coelestem esse multo maiorem quam nos putaremus. Et c.15[10] *si praecepta mea servaveritis manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi et maneo in eius dilectione*. Ut ostendat dilectionem qua prosequitur servantes mandata esse admirabilem. Sic etiam Virgilius constitit Aeneas, clara quam in luce refulsit, os humerosque Deo similes. Ita igitur ait *ut sint unum sicut et nos*, id est ut sint maxime uniti et accedant ad nostram unitatem quam maxime fieri potest. Ita etiam Augustinus, 2 Contra Maximinum c.12 et latius l.3, c.22 et apertius Concilium Lateranense ubi supra, vide.

14. **Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo**, id est ex potestate quam dedit mihi Pater. Porro in Sacra Scriptura *ostendere bona* est benefacere, ut Eccl 2[24] *nonne melius est comedere et bibere et ostendere animae suae bona de laboribus suis*. Ps 4[6] *multi dicunt quis ostendet nobis bona*. Vide ibi Augustinum¹⁵² et Euthymium¹⁵³. Ps 84[8] *ostende nobis Domine misericordiam tuam*. Eadem phrasi e converso dicitur ostendere mala qui punit. Ps 70[20] *quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas*.

15. **In lege vestra**. Aliquando *lex* sumitur pro Pentateucho et condistinguitur contra Prophetas et Psalmos, etc. Ut Lc 24[44] *oportebat impleri omnia quae scripta sunt de me in Lege, Prophetis et Psalmis*. Aliquando vero comprehendit omnes Scripturae libros, ut 1Cor 14[21] *in lege enim scriptum*

¹⁵² AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 48*. PL 35,1744.

¹⁵³ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 10,33*. PG 129,1338.

est et citat Is [28,11]; Jn 15,25 *ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptum est* et citat Ps 34[19], sic modo nomine legis complectitur Ps 81[1] *Deus stetit in synagoga deorum ego dixi dii estis* etc, ex quo desumit argumentum.

16. ***Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est.*** Euthymius, Titelmanus, Lyra¹⁵⁴, Jansenius¹⁵⁵ atque Montanus existimant in illo Ps sermonem esse de iudicibus et principibus qui ratione officii solent dii appellari in Scriptura. Unde quod modo Dominus ait illos ibi appellari deos ad quos sermo Dei factus est Jansenius dici existimat quia ad eum dicitur fieri sermo Dei cui aliquod a Domino negotium datur. Verum ex libris Prophetarum constat sermonem Dei fieri ad aliquem nihil aliud est nisi ei Dominum loqui, qua phrasi saepe utitur Hieremias, ut c.1 et 2, et numquam illa utitur Sacra Scriptura cum homo ad aliquod officium gerendum eligitur. Hinc est ut multi magis probent Augustini¹⁵⁶ sententiam qui nomine deorum in illo Ps intelligit omnes filios Israel. Quod si obiicias contextum postulare ut sermo sit de iudicibus Respondent 1^{um} agi cum omni populo et deinde peculiariter cum iudicibus. Ego potius dicerem aut ipsos iudices peculiariter dici filios Dei sive deos, quia ad illos peculiariter loquitur Deus ita ut de illis vere dicatur *suscipiant montes pacem populo*, aut in Ps prius agi singillatim cum iudicibus et postea cum omni populo cum dicitur *ego dixi dii estis et filii excelsi omnes*, admonendo iudices ut pauperem et egenum non despicerent. Et quod sequitur habet elegantem contextum ut ibi dicemus. Quod vero universi filii Israel appellentur filii Dei non est novum, ut patet Is 1[2] *filios enutrivit* etc.

17. Utcumque sit significat Dominus propterea homines appellari filios Dei quia sermo Dei ad illos fit, id est per aliquam sermonis Dei participationem, Ergo Messias quem Dominus sanctificavit maiori aliqua ratione est Filius Dei, nempe Filius a quo caeteri hanc dignitatem participant, quia ipse non est Filius quia ad illum fit sermo sed quia est ipse sermo atque adeo per naturam Filius quandoquidem facit filium eum ad quem pervenit. Hic erat scopus quem Christus respiciebat, sed propter iudaeorum ruditatem noluit aperte argumentari sed solum eis significare non mirum esse ut ille qui operibus admirandis probat se esse verum Messiam appellaret se Filium Dei, quandoquidem caeteri ad quos sermo Dei fit appellabantur aliquomodo dii in Sacra Scriptura.

¹⁵⁴ GLOSSA ORDINARIA, *Jn*10,35. PL 114,395.

¹⁵⁵ JANSENS, *In Concordiam*, c.93. Lugduni 1580, p.668.

¹⁵⁶ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract* 48. PL 35,1745.

18. ***Et non potest solvi Scriptura.*** Vide illud Mt 5[17] *non veni solvere legem sed adimplere*, quasi diceret que en la Sagrada Escritura dejó Dios atado que a los que habla son sus hijos y esto no se puede desatar, non potest suam amittere vim.

19. ***Quem Pater sanctificavit et misit in mundum.*** Haec sanctificatio Augustino¹⁵⁷ est aeterna generatio per quam sanctitas Patris communicata est Filio. Communior expositio est de unione Hypostatica per quam ille Homo factus est Deus atque adeo sanctus et sanctificans eos qui ex fide sunt, Rom 3[26]. Facit illud ad Rom 1[4] *praedestinatus est [f.98] Filius Dei secundum Spiritum Sanctificationis*. Verba vero quae sequuntur (*et misit in mundum*) indicant ideo sanctificatum esse ut sanctificaret mundum, et connotant etiam Suppositi praeexistencia, non enim dicitur *mitti* nisi ille qui iam existebat (Vide an sanctificatio referri possit ad decretum Dei quo statuit ut ille Homo esset verus Messias. Sanctificate ieiunium, id est statuete).

20. ***Quia Pater in me est et ego in Patre.*** Eadem phrasi usus est cum discipulis c.14,20 *in illo die cognoscetis quia ego sum in Patre et vos in me et ego in vobis*. Sed inter divinas Personas ad intra est loquutio propria, inter Christum et suos hyperbolica ad maximam unitatem significandam, ut supra n.12.

21. ***Quaerebant ergo eum apprehendere,*** quasi dicerent non ausi sunt lapidare quoniam convicti sunt argumento Christi illam non fuisse blasphemiam. ***Et exivit de manibus eorum.*** Ut supra, c.8 *fine et abiit iterum trans Jordanem*. *Iterum* dicit quia iam *semel* ierat cum esset ibi Joannes.

22. ***Ubi erat Joannes baptizans primum,*** scilicet in Bethania vel Bethabara, de quo c.1, lectione 12 *fine*, quoniam postea baptizavit in Enon iuxta salim, ut habetur c.3,23. Elegit autem Dominus hunc locum ut testimonia Joannis in memoriam adduceret iudaeorum, ut indicant ea quae sequuntur.

23. ***Quia Joannes quidem nullum fecit signum,*** id est quamvis nullo signo suam confirmaverit doctrinam tamen res ipsa ostendit vera esse quae ille dixit de Christo.

¹⁵⁷ AUGUSTINUS, in *Jn Ev tract* 48. PL 35,1745.

Caput 11^{um}
Erat autem quidam

1. De castello Mariae et Martae bene notat Jansenius¹⁵⁸ non esse certum an illae fuerint huius castelli dominae.

2. ***Maria autem erat quae unxit unguento Dominum***, etc. Non satis constat an haec verba referantur ad unctionem quam narrat Lc c.7 vel eadem quae habetur Jn 12. Occurrebat hic quando de numero mulierum quae Dominum unxerunt, an sit una vel plures. Nam ex 4 Evangelistarum narrationibus, *quatuor* distinctas mulieres nonnulli collegerunt, ut tradit Origenes in Mt homil. 35.

Tribus contenti sunt ipse Origenes, Chrysostomus, Nicephorus¹⁵⁹ lib.1, c.27, Theophylactus¹⁶⁰ Lc 7, Euthymius Mt 27, Jacobus Faber et Clitovaeus libris de hac re editis.

Et *duas* saltem asserunt Chrysostomus in Mt homil. 8 et ultima, Hieronymus in 1^a homil., Origenis¹⁶¹ in Cantica, Macarius Egiptiacus¹⁶² homil.12, Bernardus¹⁶³ sermone 23 in Cantica. (Vide Bernardum, sermone de Maria Magdalena quod incipit *Hodie*.) Et Clemens in Constitutionibus lib.3, c.6 ubi eum defendere conatur Turrianus et adducit Photium et Eusebium et alios. Et facit quod Augustinus¹⁶⁴ dubitare videtur tract.48 (Baptista Mantuano dice que fue autor de la opinión S. Gregorio, sed fallitur).

Unicam vero et eandem esse de qua omnes Evangelistae loquuntur defendit Augustinus¹⁶⁵, 2 c.78 et 79; Gregorius homil.33 in Evangelia; Beda¹⁶⁶ Mc 14 et Lc 7; Innocentius¹⁶⁷ libro 3 De altaris misterio c.56; D.Thomas¹⁶⁸ Mt 26[13] et Jn 12[7]; Cajetanus¹⁶⁹, Mt 26 et in 1^o Jentaculo q.1; Rofensis peculiari libro; Jansenius¹⁷⁰ et communis.

¹⁵⁸ JANSSENS, *In Concordiam*, c.102. Lugduni 1580, p.724.

¹⁵⁹ NICEPHORUS CALLISTUS, *Ecclesiastica Historia*, l.1, c.27. PG 145,711.

¹⁶⁰ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Lc 7,37*. PG 123,794.

¹⁶¹ ORIGENES, *Homil 2 in Cantica*. PG 13,48.

¹⁶² MACARIUS AEGYPTIUS, *Homilia 12*. PG 34,567 C.

¹⁶³ BERNARDUS, *In Cantica sermo 23*. PL 183,885.

¹⁶⁴ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 49*. PL 35,1748.

¹⁶⁵ AUGUSTINUS, *Evangelistarum*, l.2, c.78s. PL 34,1154s.

¹⁶⁶ VENERABILIS BEDA, *In Mc Ev expositio 14,3; Lc 7,37*. PL 92,267; 423.

¹⁶⁷ INNOCENTIUS III, *De Sacro Altaris Misterio*, l.2, c.57. PL 217,832.

¹⁶⁸ THOMAS AQ., *In Mt Ev c.26; In Jn Ev c.12*. Ed Vivès t.16, p.441; t.17, p.578.

¹⁶⁹ CAJETANUS, *In quatuor Evangelia*, Mt 26. Lugduni 1573, fol.139v.

¹⁷⁰ JANSSENS, *In Concordiam*, c.102. Lugduni 1580, p.724.

Argumenta pro veritate sunt id Mt 26 *ubicumque praedicatum fuerit hoc Evangelium dicitur quod haec fecit in memoriam eius*. Et hic locus Joannis ut bene notat Jansenius et historia Massiliensium et epitaphium sepulchri et Ecclesiae consensus, qui alioqui iniurius erat in honestissimam matronam.

Difficultates in vera sententia sunt: 1^a cur Mt et Mc eius nomen tacuerint in honorifico officio ungenti Dominum. 2^a quod videatur Maria Magdalena esse Galilaea, et soror Lazari Hierosolymitana aut saltem ex castello Bethaniae. Ad haec optime respondent supradicti auctores et vide etiam quid referat Suarez episcopus conimbricensis in Lucam, ait enim [f.98v] civitatem de qua loquitur Lc esse Capharnaum, et historiam illam in Galilaea contigisse, quoniam Magdalena habitabat in castello Magdalo unde nomen accepit, ait enim se in Bethleen legisse in historia (quam franciscani veram confirmabant) eam nupsisse viro nobili ac deinde facto divortio in Capharnaum vixisse licentiosius, et post conversionem venisse Bethaniam, etc.

3. *Miserunt ergo sorores eius*. Bethania aut Bethabara ubi nunc erat Dominus distat a castello Bethaniae plusquam 22 milliariis, ex carta vero cosmographica intelligitur distare 14 leucis et facit quod Dominus invenit Lazarum quatuor ante dies obiisse (8 estadios, una milla; un estadio 125 pasos).

4. *Nonne duodecim sunt horae diei?* Notum est quomodo semper diem dividerent iudaei in 12 horas et noctem in totidem. Sed in applicatione compositionis Augustinus¹⁷¹ eam allegorice tractat. D.Thomas¹⁷², Lyra¹⁷³ et communis existimant Dominum significare in qualibet hora diei posse homines mutari, atque ita non mirum esse quod ad eos redire velit a quibus paucis ante diebus fuerit lapidibus appetitus. Considerato tamen contextu magis placet Montani expositio, nempe, sicut in qualibet diei hora id est ante solis occasum potest sine offensionis metu ambulari, etiam in undecima, sic, etiamsi passionis hora appropinquaret nihilominus se optime videre qua eat et quid sibi eventurum sit et sine periculo posse inter iudaeos versari quousque tempus definitum a Patre quasi duodecim horae diei impleantur. Alii: sicut dies habet praefinitum spatium 12 horarum ante quod non potest expleri dies neque per vim potest fieri brevior, sic tempus vitae meae praefinitum est nec potest a iudaeis mors mea anticipari.

¹⁷¹ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 49*. 190 35,1749

¹⁷² THOMAS AQ., *In Jn Ev c.11*. Ed Vivès t.17, p.566.

¹⁷³ WALAFRIDUS STRABUS, *Expositio in 4 Ev*, PL 114,910.

5. *Eamus et nos moriamur cum illo*. Graece *ut moriamur cum illo*, atque ita Chrysostomus¹⁷⁴, Theophylactus¹⁷⁵ et Euthymius¹⁷⁶ aiunt esse verba timentis. Sed nihilominus probabile est potius esse audentis et omnia pro Christo pati statuentis, ut ait Beda.

6. *Ego sum resurrectio et vita*, id est auctor vitae et resurrectionis, ut 1Cor 1[30] *factus est nobis iustitia*.

7. *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei*, graece ὁ Χριστὸς ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, el Cristo, el Hijo de el Dios. Porro *credidi* ait, quasi diceret iam diu hoc credo, aut fortasse praeteritum ponitur pro praesenti. Et quod ait *qui in hunc mundum venisti* sensus est quasi diceret ille qui in hunc mundum venturus erat. Vide phrasim graecam.

8. *Infremuit spiritu et turbavit se ipsum*. ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι. Graeci carent ablativo, adeo dicunt infremuit spiritui, cohibuit animum suum ne in fletum prodiret. Sed non cohaeret quia sequitur et turbatus est et postea *et lacrimatus est Iesus*. Communior explicatio est ut fremitus sit indignantis et Montanus infremuisse ait spiritu Dominum propter exiguam fidem Mariae et aliorum. Jansenius¹⁷⁷ vero cum Lyra¹⁷⁸ dicunt Dominum infremuisse in animo suo sive apud semetipsum (ut dicitur postea). Denique tacite indignatum fuisse contra mortem atque diabolum cuius invidia mors intraverat in orbem terrarum quae tanti luctus causa fuerat. Sed istae explicationes nisi fallor non tam conveniunt cum re ipsa et cum lacrimis quam cum verbo *infremuit*. Ad rem vero multo aptius est quod ait Nonnus, nempe hac phrasi significari paterni spiritus commotionem idque proculdubio sequerentur omnes si viderent quomodo id significetur hac phrasi. Dico ergo *fremitum* non semper ad indignantem referri sed etiam ad quemvis sonitum ex magnitudine affectus procedentem, et ad eas praesertim inarticulatas voces quas edit vel tristitia vel dolor vel etiam gaudium. Vide Thesaurum linguae latinae¹⁷⁹ et invenies plausum fremitum quam secundum Eneidos 5 et apud Livium lib.6 fremunt gaudio erecti de pace reipublicae. Similiter ergo flebilis fremitus apud Senecam, et egenorum fremitum apud Ciceronem pro Flacco, et quidam apud Virgilium magno circa dolore fremebant, Eneidos 6 (Facit

¹⁷⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 62(61)*. PG 59343.

¹⁷⁵ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 11,16*. PG 124,94.

¹⁷⁶ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 11,15*. PG 129,1343.

¹⁷⁷ JANSSENS, *In Concordiam, c.102*. Lugduni 1580, p.728.

¹⁷⁸ GLOSSA ORDINARIA, *Jn 11,33*. PL 14,400.

¹⁷⁹ *Thesaurus linguae latinae, vol.6 pars prior, FREMITUS*. Lipsiae 1926, col.1279s.

equorum fremitus apud Caesarem et Virgilium). [f.99] Ergo *infremuit spiritu*, id est obortis lacrimis erupit etiam compatiens et humanissimi Domini affectus in suspiria fremente vocis spiritu vel mentis affectu vel ingemuit apud se, id est non eiulando in more foeminae, sed graviter ut virum decet commoti tamen animi significationem praebens, neque vero id accidit (ut saepe usu venit) eo quod ille non se posset continere quin fleret, sed potius ille turbavit se ipsum, id est commovit se ad misericordiae praebenda signa usque ad fletum atque singultum. Nam homines plerumque non tam se ipsi per rationem movent quam ab obiectis moventur sed ii qui magna animi virtute praediti sunt et praesertim Christus, suos ipsi quando opus est excitant affectus et perturbare se potius videntur quam perturbari (perturbationem latini vocant quod philosophi passionem) aut si quis idem esse commovit se atque commotus est, fortasse enim est hebraeismus similis nostro hispanismo moviose, compadeciose etc. (Vide Gn 43,30 et 45,1 de Joseph commotione).

9. ***Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.*** Euthymius¹⁸⁰ et Titelmanus atque Jansenius¹⁸¹ aiunt non fuisse praemissam orationem postulans Lazari resurrectionem, sed esse hunc sensum: *quoniam audisti me* id est quoniam annuisti votis meis et voluisti resurrectionem Lazari quam me velle videbas. Iuxta illud *desiderium pauperum exaudivit Dominus, praeparationem cordis eorum audivit auris tua*. Sed ego non dubito quin Christus postulaverit a Patre id quod volebat, nam apud se semper erat in oratione agens cum Patre, et omnes suas actiones cum illo communicans; atqui orare est manifestare desiderium.

10. ***Ego autem sciebam quia semper me audis sed propter circumstantes dixi ut credant quia tu me misisti.*** Sensus est quasi diceret: non propterea tibi gratias ago quasi novum sit me a te exaudiri sed dixi haec verba gratiarum actionis ut populus qui adest credant quia tu me misisti. Sed dices quomodo ex gratiarum actione id colligerent? Respondeo, quia gratiarum actio ante effectum praesupponit effectus praevisionem et magnam familiaritatem cum Deo, et includit insignem pietatem, et haec omnia confirmabant id quod Christus de se praedicabat nempe se esse missum a Deo.

11. ***Ligatus manus ac pedes institis.*** Euthymius¹⁸² agnoscit hoc fuisse peculiare miraculum quod ligatus prodire potuerit.

¹⁸⁰ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 11,41*. PG 129,1350.

¹⁸¹ JANSSENS, *In Concordiam*, c.102. Lugduni 1580, p.730.

¹⁸² EUTHYMIUS, *Comment in Jn 11,44*. PG 129,1351.

12. ***Quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisaeos.*** Euthymius¹⁸³, Lyra¹⁸⁴ et Jansenius¹⁸⁵ hoc intelligunt de iis qui erant male affecti erga Christum sed quamvis essent bene affecti non mirum est quod illi narrarent in Christi laudem et inde virus conciperent pharisaei.

13. ***Et venient romani.*** Putabant ipsum affectare regnum temporale et tale esse debere regnum Messiae.

14. ***Ab illo die cogitaverunt,*** id est firmiter apud se statuerunt, ut ait Chrysostomus¹⁸⁶ et Theophylactus¹⁸⁷ vel pensaban en cómo le matarían, quaerebant apud se viam et rationem.

15. ***In civitatem quae dicitur Ephrem vel Ephraim.*** Jansenius¹⁸⁸ putat se ex Hieronymo colligere hanc esse Ephron, de qua 2Paral 13,19. Sed contra est, praeter discrimen litterarum quod Ephron erat trans Jordanem 1Macab 5, haec autem ad quam secessit Dominus videtur esse citra Jordanem, supra Jerico, et videtur a tribu Ephraim appellari nam et Ephrataei appellantur filii Ephren, Ps 77.

C.12

1. ***Maria ergo accepit libram unguenti.*** Vide supra dicta c.11, n.2, et ad complementum illius dubii dubitari solet hic an unctio ista sit eadem cum illa de qua Mt 26 et Mc 14. Negat enim Origenes¹⁸⁹ tract.35 in Mt, et D. Hieronymus¹⁹⁰, sed oppositum videtur omnino certum, de quo late et optime Jansenius¹⁹¹ c.109, et Augustinus¹⁹² 2 c.79. Et nota etiam non omnes qui plures asserunt Magdalenas distinguere istas duas unctiones, neque enim Faber distinguit quamvis falsam sequatur Concordiam. Contra quem optime Jansenius. De Simone vero vide quid referat Nicephorus¹⁹³. [f.99v]

¹⁸³ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 11,45*. PG 129,1351.

¹⁸⁴ GLOSSA ORDINARIA, *Jn 11,48*. P?L 114,400.

¹⁸⁵ JANSSENS, *In Concordiam, c.102*. Lugduni 1580, p.731.

¹⁸⁶ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 65(64)*. PG 59362.

¹⁸⁷ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 11,53*. PG 124,110.

¹⁸⁸ JANSSENS, *In Concordiam, c.104*. Lugduni 1580, p.734.

¹⁸⁹ ORIGENES, *tractatus 23 in Mt*. PG 13,1721.

¹⁹⁰ HIERONYMUS, *Commentar in Ev Mt 26,7*. PL26,199.

¹⁹¹ JANSSENS, *In Concordiam, c.109*. Lugduni 1580, p.753.

¹⁹² AUGUSTINUS, *Evangelistarum, l.2, c.79*. PL 35,1155.

¹⁹³ NICEPHORUS CALLISTUS, *Ecclesiastica Historia, l.1, c.27*. "apocryphi libri patrem Lazari fuisse aperte tradunt". PG 145,711.

2. **Nardi pistici.** Vide notiones Francisci Lucae et Jansenii¹⁹⁴ hic, et Plinius atque Dioscoridem (Otros trasladan nardi pistici id est nardi liquidae. Declinatur nardus et nardum). [Cant 1,11] *Dum esset rex in acubitu suo*, etc.

3. **Isariotes.** Hieronymus¹⁹⁵, Chrysostomus, Theophylactus¹⁹⁶ et Euthymius Mt 10, aiunt sic appellari a loco in quo natus est. Verum si ethymologiam spectes Isariotes significat virum occisionis unde potius videtur esse nomen opprobrii. Sed multa sunt in Sacra Scriptura nomina in quibus apparet divinam providentiam voluisse protendere id quod futurum erat. Nam Daniel significat iudicium Dei, David dilectum, Elisaeus salutem Dei, Job dolentem, Isboseth virum confusionis, Magdalena magnificam, Malachias nuntium, Nahum consolatorem, Gomorra populum rebellem.

4. **Pertinebat ad eum**, id est cura illi erat, ut c.10 *non pertinet ad eum de ovibus*.

5. **Fur erat et loculos habens ea quae mittebantur portabat.** Habere loculos non debet in malam partem accipi, ut patet ex c.13,29. Et pro loculis in graeco est *glossocomon* in singulari, quod significat crumenam aut marsupium, vel etiam scrinium aut arcam. Sensus ergo est que Judas era ladrón y tenía mano para hurtar porque él tenía la bolsa, vel quod magis ad rem, porque tenía la llave del arca atque adeo portabat in glossocomon ea quae mittebantur in illud. Él llevaba al arca lo que se echaba en ella. Itaque non est sensus *quae mittebantur* lo que le enviaban a Cristo sed quae iniiciebantur, ut patet ex verbo graeco βαλλομαι, quod non significat dono mittere sed iacere. Quamvis enim quidam vertant quae mittebantur, id est quae dabantur, non tamen invenio eam significationem verbi graeci, nisi quis dicat iuxta id quod habetur Act 4,34, etiam ante Christi Passionem usitatum fuisse ut discipuli venderent possessiones et proicerent pretium ante pedes Magistri, tunc enim idem erit offerre, dare et iacere in commune. Elegerat ergo Dominus Judam ut ipse haberet commune marsupium atque ita ipse solus habebat loculos et portabat secum ea quae in commune coniciebantur a discipulis.

6. **Sine illam.** Bene habet sive legamus *sine* sive *sinite*, de quo vide Franciscum Lucam. Porro Magdalenam quamvis ignara misterii et nihil eiusmodi cogitans dicitur unctionem illam servare in diem sepulturae, id est,

¹⁹⁴ JANSSENS, *In Concordiam*, c.109. Lugduni 1580, p.755.

¹⁹⁵ HIERONYMUS, *Commentar in Ev Mt 10,4*. PL 26,63

¹⁹⁶ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Mt 10,4*. PG 123,235.

ut explicant Mt et Mc quod modo habet seu quod modo potest facere et praevenire unctionem Domini ad sepulturam quam postea facere non licebit. Ergo servare unctionem est quasi custodiendam Deo tribuere ut postea acceptam ferat quando ipsa desiderabit ad sepulturam ungere.

7. *Pauperes enim semper habetis vobiscum.* Vide Cajetanum¹⁹⁷, Jentaculum 1,q.1.

8. *Acceperunt ramos palmarum.* Augustinus¹⁹⁸, Theophylactus¹⁹⁹, Euthymius²⁰⁰ et Lyra²⁰¹ credunt id esse factum in signum victoriae atque triumphi de morte atque diabolo, quia olim in certaminibus palma dabatur victoribus. Et eodem modo explicant quod dicitur Apoc 7,9 *et palmae in manibus eorum*. Et videtur facere locus Deut 25,1 in quo praecipitur iudicibus ut inter litigantes illi iustitiae palma detur quem iustum esse perspexerint. Sed contra est quod iste mos tribuendi palmam victori fuit quidem romanorum atque gentilium non vero iudaeorum, nihil enim est in Sacra Scriptura ex quo possit colligi, nam locus Deuteronomii translatus est ex romanorum consuetudine per metaphoram in hebraeo aut nulla fit ibi mentio palmae sed solum dicitur ut iudices iustificent iustum. Locus vero Apoc et iste quem prae manibus habemus omnino explicari debet iuxta morem iudaeorum, id enim est aptius atque simplicius. Dico ergo [f.100] apud hebraeos palmarum et aliarum arborum frondes in signum letitiae gestari quacumque ex causa oriatur letitia, ut Levit 23,40 de festo Tabernaculorum dicitur *sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimae spatulasque palmarum et ramos ligni densarum frondium et salices de torrente et laetabimini coram Domino*. Vide Mc 13,51 et 2Macab 10,7 (PS 117,26 *constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris*). Vide etiam Josephum²⁰² 3 Antiquitatum c.10, ubi ait iudaeos in festo Tabernaculorum pro gratiarum actione sacrificare, manibus interim gestantes ramos mirthi, salicis et palmae gratias agentes quod Dominus eos conduxerit de terra Egipti et post desertum et Tabernacula ingressi sunt in terram promissionis. Similiter ergo in praesenti acceperunt ramos palmarum. Non tamen negandum est quin divina providentia in ea pompa atque laetitia maiora occultaverit misteria quam iudaei intelligebant. Et

¹⁹⁷ CAJETANUS, *Jentaculum 1, q.1*. Lugduni 1639, p.405.

¹⁹⁸ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 51*. PL 35,1764.

¹⁹⁹ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn, 12,13*. PG 124,119.

²⁰⁰ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 12,12*. PG 129,1358.

²⁰¹ WALAFRIDUS STRABUS, *Expositio in 4 Ev*, PL 114,910.

²⁰² JOSEPHUS, *Antiquitatum, l.3, c.10*. Pasileae 1554, p.73.

inter alia nota ex Mt et Mc constare quod frondes caedebant de arboribus et sternebant in via, Joannes vero significat accepisse atque gestasse in manibus ramos palmarum eos qui praecesserunt obviam Christo et quia ex caeteris Evangelistis verisimile est frondes arborum de monte olivetti caessas fuisse ut maxima saltem ex parte frondes quas sternebant fuerint olivarum. Palma ergo et oliva aptissime designant misericordiam et veritatem, quae multo melius deserviunt ad ornatum et custodiam regis quam omne genus militum con todas sus agujas y partesanas.

Vide illud [Prov 20,28] *miser cordia et veritas custodiunt regem et roboratur clementia tronus eius*. Sed misericordia, sicut oliva debet esse effusa et copiosa, veritas vero, sicut palma, erecta semper et honorata.

9. **Hosanna.** Vide Origenem²⁰³, tomo 14 in Mt; Ambrosium²⁰⁴ Lc 19; Hilarium²⁰⁵ Mt 21; Euthymium et Thephilactum hic et Mc 11; Augustinum²⁰⁶ tract. 51 et 2 De doctrina Christiana c.11²⁰⁷; et praecipue Hieronymum²⁰⁸ epist 145 ad Damasum, et scolia Mariani. Et omissis eorum opinionibus qui hebraice nesciebant,

—Dico 1^o osanna esse duas dictiones hebraicas, et 1^a quidem ter legi potest nempe *hosih, hosah, hosiah*. הוֹשִׁיעַ *hosih*, ut legit Hieronymus et Marianus Ps 117,25. Vel sine iod הוֹשַׁע (sic) *hosah*, ut habetur Ps 85,3 et Hierem 31,7. Vel cum duplici aspiratione in fine הוֹשִׁיעָה *hosihah*, ut legit Arias Montano Ps 117,25. Et omnibus his tribus modis eadem est significatio nempe salva aut salvum fac.

2^a vero dictio quater etiam legitur, *na, ana, anah, hhanah*, nempe נָא *na*, ut legit Arias Ps 117,25 et Sanctes Pagninus in Dictionario ex R.David. Aut אָנָה *ana*, ut habetur Gn 50,16. Aut אָנַח *anah*, ut habetur Ex 32,31 atque ita etiam legit Hieronymus Ps 117,25. Aut אָנַח *hhanah*, ut legit Hieronymus tertio in eodem versu Ps 117. Quod vero attinet ad significationem Septuaginta Ps 117,25 transtulerunt δὴ quod significat idem quod *age* aut *quaeso* aut *nunc*. *Arias* vero existimat נָא *na* esse idem quod *nunc*, quamvis fateatur Rabbi David secundum alios esse particulam obsecrantis aut deprecantis. *Ana* אָנָה apud omnes est idem quod obsecro. Et *anah* אָנַח, teste Hieronymo, idem prorsus significat. *Hhanah* אָנַח vero ait esse interiectionem conquerentis seu implorantis auxilium.

²⁰³ ORIGENES, *Comment in Mt tomo 16*. PG 13,1439.

²⁰⁴ AMBROSIUS, *Expos in Lc 18,37*. PL 15,1888.

²⁰⁵ HILARIUS, *Comment in Mt 21,3*. PL 9,1036.

²⁰⁶ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 51*. PL 35,1764.

²⁰⁷ AUGUSTINUS, *De doctrina Christiana, l.2, c.11*. PL 34,42.

²⁰⁸ HIERONYMUS, *Epist ad Damasum*. PL 22,375.

10. —Dico 2º, ex dictis effici eundem esse sensum sive legamus *osanna* sive *osiana*, sed nihilominus bene ait Hieronymus²⁰⁹ corrupte apud nos legi *osanna* cum legendum esset *osianna*, quia illi qui clamabant omnino desumpsisse videntur voces ex Ps 117 ubi dicitur *o Domine salvum fac*, sive *osianna*, *o Domine prosperare, benedictus qui venit (aut qui venturus est) in nomine Domini*, quod ut melius intelligatur nota singulorum Evangelistarum verba: Mt sic habet c.21,9: *Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis*. Mc c.11,9: *Hosanna benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum quod venit regnum patris nostri David hosanna in excelsis*. Lc sic c.19,38: *benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in coelo et gloria in excelsis*. Jn sic c.12,13: *hosanna benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel*.

Ex his patet turbas divino instinctu verba Psalmi in Christi ingressu usurpasse nonnullis additis vocibus prout Spiritus Sanctus singulis dictabat.

11. —Dico 3º, ridiculum esse quod ait Reuclin libro 2 De verbo mirifico c.11, nempe hanc particulam *osanna* esse unum ex nominibus divinis, cum constet de eius constructione.

12. Supposita grammatica constructione, secundum quam *Hosanna* est idem quod *salva quaeso*, dubitatur an alloquantur Christum vel Patrem, nam si alloquantur Patrem sensus est *salva nos illum*, si vero alloquantur Christum sensus est *salva nos*. Utraque explicatio bonos habet auctores: —1ª, Euthymium²¹⁰ Mt 21, Jansenium²¹¹ c.110, Montanus Mt 21, Martinez Hipotyposis lib.1 c.6. Sed —altera multo nobiliores: Chrysostomum homil.68 in Mt, et Hieronymum²¹² Mt 21 et epist.145, Gregorium homil 17 in Ezechiel, Innocentium²¹³ libro 2 De sacro altaris misterio c.ultimo. Et facit pro hac explicatione Psalmi 117 contextus in quo salutem sibi poscit populus, atque ita plerique nostrae vulgatae libri habent *o Domine salvum me fac*. Facit etiam illa particula *in excelsis*. Facit etiam illa interiectio lamentabilis, de qua supra. Facit praeterea quod eis verbis quotidie utitur Ecclesia ad praestandam sibi salutem dum ante initium canonis in Missa canit *benedictus qui venit in nomine Domini osanna in excelsis*. Adde quod ista explicatio multo magis caedit in honorem Christi, quia tunc in Ps 117 nomen

²⁰⁹ HIERONYMUS, *Epist ad Damasum*. PL 22,378.

²¹⁰ EUTHYMIUS, *Comment in Mt 21,9*. PG 129,551.

²¹¹ JANSSENS, *In Concordiam, c.110*. Lugduni 1580, p.766.

²¹² HIERONYMUS, *Commentar in Ev Mt 21,9*. PL26,154.

²¹³ INNOCENTIUS III, *De Sacro Altaris Misterio, l.2, c.62*. PL 217,840.

Jehovah tribuitur illi et commodissime significatur apud Mt et Mc omnes fideles qui praecesserunt Christum et qui sequuti sunt illum ab ipso sibi salutem expectasse. Praeterea vide quod hic referat Jansenius de praecibus iudaeorum in festo Tabernaculorum in quibus ipsi respondent *hosanna* sicut nos *miserere nobis* aut *libera nos Domine*. Et alioqui non satis cohaeret ut ii quorum linguas Spiritus Sanctus movebat salutem poscant Christo qui est ipsa salus.

13. Sed obiiciet quis illa verba *hosanna Filio David*, in quo salus videtur optari ipsi Filio David. Respondeo facile constructionem esse huiusmodi: Hosanna Filio Davidis canatur, id est ille solus est cui merito possumus dicere Hosanna. Ps 44,[5] *intende prospere* etc. Constructio vero illius verbi *bene prosperare* in utraque explicatione facilis est, sive sit sensus *prospere age* sive *prosperitatem da*. Sed perpensis verbis caeterorum Evangelistarum ego mihi omnino persuadeo populum clamare venisse iam Messiam et eius regnum esse felix et faustum atque adeo ab ipso poscunt et sibi promittunt coelestem pacem et gloriam [f.101] et quamvis cum hoc sensu non male cohaeret optare ut Christus longam vitam ageret in hoc mundo ad ipsius mundi felicitatem, quasi diceret Dios nos le garde muchos años, sicut romani clamant viva il Papa, tamen neque id cohaeret cum Psalmi instituto neque cum illis verbis *pax in coelo, gloria in excelsis, salva in excelsis*. Adde quod non congruit orare ut Deus servet Messiam. Unde non est ab Evangelistis relicta vox hebraea *hosanna* eo quod esset familiaris acclamatio iudaeorum ut suspicantur pro libito Jansenius²¹⁴ et Erasmus, neque quod eam non satis graecus sermo exprimeret ut significat Hieronymus, sed potius ideo quod in ore iam esset omnium fidelium et fortasse quod in ea sit allusio ad nomen Josuah quasi dicerent salva nos tu qui salvator vocaris, nam ab eo verbo derivatur nomen Domini Jesu sive Josuah.

14. ***Et sedit super eum.*** Utri iumentorum Dominus insederit et de huius rei misterio et argumento vide Riberam, Zach q.35 et 1. Cuius sententiam confirmat id quod refert Aranda in descriptione Terrae Sanctae c.21, nempe consuetudinem esse ut custos montis Sion franciscanus dominica in ramis palmarum veniat in Betphage cun christianis et ibi sedeat super asinam, et postea in descensu montis Oliveti super pullum. —Nihilominus dico eam sententiam non esse adeo certam sicut Ribera putat, quia quamvis Mt meminerit asinae et dicat super asinam et pullum imposita esse vestimenta discipulorum, et Dominum desuper sedisse, tamen sensus est Dominum

²¹⁴ JANSENS, *In Concordiam*, c.110. Lugduni 1580, p.767.

super vestimenta sedisse, neque valet super utrumque posita sunt vestimenta ergo super utrumque ascendit quia adducta matre et pullo et ascensuro Domino super pullum congruum erat ad pompae celebritatem ut mater etiam vestibus discipulorum ornaretur (Las hacaneas que van ensilladas delante del Papa). Praeterquamquod non deerit qui dicat synedochice intelligendum esse quod dicitur imposuerunt super eos vestimenta sua, id est super alterum eorum. Quod vero attinet ad locum Zachariae, primum ex notationibus Francisci Lucae patet legendum esse super asinum masculino genere et super filium asinae, atque ita habent pleraque Biblia, secundum quam lectionem de uno eodemque iumento sermo est, sicut si ascendisset super equum indomitum recte diceremus subió sobre un caballo y caballo argel. Neque enim semper opus est ut *to* etiam diversa coniungat. Vide illud 1Reg 17 *misit in peram pastorile*, hebreo *in vas pastorile et peram*. Quod vero attinet ad misterium multo significantius est si solum ascenderit Dominus super asellum ut reprobationem iudaici populi designaret et electionem gentium, quamvis per synagogam quasi per matrem adducta sit gentilitas ad Christum. Colligo ergo multo verisimilius esse Dominum non ascendisse super asinam, quia de fide est ascendisse super pullum, et neque locus Zachariae neque locus Mathaei cogit ut Christus super matrem ascenderit, et sublata eorum locorum vi constat sententiam esse inanem. Sed Riberiae imposuit depravatus codex qui Zach 9 habebat *super asinam et super filium asinae*.

15. Cur Dominus iumentum elegerit et non equum neque currum. Quidam ad morem patriae referunt, et adducunt id quod dicitur de Achitophel 2Reg 17[23] et de Semei 3Reg 2[40] et de curru Cyri Is 21[7]. Verum quamvis super asinum ascendere praesertim antiquis temporibus non esset humile, ut patet Iudicum 5,10 *qui ascenditis super nitentes asinos*. Constat tamen postea maioris honoris gratia fecisse sibi currus equorum Salomonem et mula vectum esse in regni inauguratione, quare et in loco Isaiae et in facto Domini misterium quaerendum est. Vide quid hic perpendant Doctores et animadvertite quanto gloriosius sit id quod mundus imitari non potest nempe ut humilem apparatus divinus comitetur honor. No hay exequias tan honradas como las del pobrecito a quien Dios quiere honrar. Praeterquamquod ad significationem et ad pacificum Christi regnum aptior erat asinus, est enim equus bellicosum animal (Bello armantur equi). Sed utcumque sit oportebat ut eques ingrederetur Dominus, id [f.101v] enim potestatis signum est ut apparet in Iosepho, Mardocheo et Salomone cum acceperunt potestatem, ex analogia moderandi habenas, atque ita equitare et gubernare eodem verbo significantur in hebraeo.

16. *Filia Sion*. Non sic appellatur Hierosolima eo quod esset ad radices montis Sion, sed sicut incolae appellantur urbis filii. Nam eadem phrasi babilonii appellantur filia Babilonis. Idem ergo est Sion et filia Sion, sicut idem est homo et filius hominis.

17 *Pharisaei ergo dixerunt ad semetipsos*. De amicis interpretatur Chrysostomus²¹⁵ et Theophylactus²¹⁶, sed de inimicis Augustinus²¹⁷, cui valde favent Mt et Lc.

Lectio 2^a

Venit Hora ut clarificetur Filius Hominis

1. Cum discipulis quidem loquitur Christus, verum in Templo coram plebe quandoquidem respondet ei turba v.34 et postea *abscondit se ab eis* v.36; non tamen constat an adessent illi ethnici qui volebant nosse Christum, nam forsam Dominus erat in atrio gentilium. Sed dices: si viderent Dominum non dicerent *volumus Jesum videre*. Respondeo non esse verisimile eos agere de conspectu, id enim facile esset per medias plateas et urbis vias, sed volebant videre id est verse con ÉI, et ut eos suo dignaretur alloquio. Utcumque sit, Philippo et Andreae respondet Dominus *venit Hora* etc, id est iam appropinquat tempus in quo nomen meum in universo mundo honoretur, quia fructus passionis meae futurus est maximus, quemadmodum grani frumenti putrefactio multa parit grana.

2. Hactenus de se loquitur Dominus et quamvis haec etiam verba martyribus accommodari soleant et praesertim iis quorum sanguine irrigata terra videtur valde fructificasse, sed aptius atque simplicius est in festis martyrum quando haec pars Evangelii canitur litteralem sensum sequi, iuxta quem de se loquebatur Dominus; quia statim occasione verborum quae dixerat descendit ad exhortationem et hortatur discipulos ut alacriter etiam ipsi amplectantur crucem proposito praemio aeternae vitae et suae societatis et honoris apud Patrem. Aptissimum ergo est ut in festo martyrum Ecclesia canat uberrimum fuisse fructum Passionis Christi et illum pro nobis patiendo *reliquisse nobis exemplum ut sequamur vestigia eius*, atque adeo felicem esse eum qui et Christum imitatur et eius consilium sequitur, quasi dicat Ecclesia, Christus de se dixit *si granum frumenti mortuum fuerit multum fructum affert*, et statim de discipulis *qui amat animam suam perdet eam et qui perdidit propter*

²¹⁵ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 66(65)*. PG 59,367.

²¹⁶ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 12,19*. PG 124,123.

²¹⁷ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 51*. PL 35,1766.

me inveniet eam, etc. Laurentius ergo, v.gr. Proposito sibi Christi exemplo animam voluit perdere propter Christum atque adeo invenit eam.

3. Circa illam propositionem *nisi granum frumenti* etc occurrit dubium huiusmodi: Christus posset sine morte sua humanum genus redimere; ergo quamvis non moreretur posset afferre fructum. —Respondeo 1° forsam non adhiberi comparisonem ad hoc quod Christus non afferret fructum si non moreretur sed ad hoc quod mortuum valde fructificat, quasi diceret si granum frumenti quod alioqui manet solum potest per suam mortem multiplicare frumentum, quanto magis mors mea poterit multiplicare christianos, praesertim cum ego etiam sine morte mea possem fructum facere, quanto ergo maiorem faciam mortuus? —Respondeo 2° aptius esse ut in hac comparatione significetur etiam quod si Christus non moreretur maneret solus, id quod bene intelligitur ex suppositione divini decreti salvandi nos per mortem Christi, sed huius decreti ratio plenior praebet intelligentiam et magnam piorum consolationem [f.102] et simul explicatur quae sit praecipua ratio propter quam voluerit Pater Christum adeo acerbam et ignominiosam mortem pati, cum vel unica gutta sanguinis sufficientissimum esset nostrae redemptionis praetium; nec enim satisfacit quod dici solet nempe ut immensum erga nos amorem ostenderet, quia nisi ostendatur id nostra interfuisse quomodo intelligemus id ex nostri amore procedere, et prima facie non apparet id nostra interesse cum nobis satis superque sit Filium Dei pro nobis praeces fundere, cur ergo effudit sanguinem? Quod vero alii dicunt voluisse Christum nobis perfectissimum patientiae et humilitatis exemplum relinquere, ea non potest esse potissima ratio quia non est potissimum remedium ad sanctitatem vitae exterius exemplar et exemplum sed multo efficacior est interior motio Dei, nam exemplis praesertim auditis parum moventur homines et fortasse non sunt nobis adeo accommodata exempla Christi propter eius divinam virtutem, videtur enim pro se statim respondere fragilis natura non esse nobis eas vires neque humeros sicut illi ad subeundum patientiae et humilitatis onus, atque adeo optare ut exempla sint minora et comprehensibilia, et auxilia interiora multo meliora et efficaciora. Cum ergo potissimum sanctitas vitae consistat in gratia Dei, omnino id magis nostra interest quod maiorem Dei favorem nobis conciliat, atque ita non tanti refert expendere quod hominibus proponatur ut se Deo subdant quam quod proponatur Deo ut homini magis faveat. Id ergo videndum est an quo plus Christus patiebatur eo magis inclinaret Patrem ad benefaciendum hominibus.

Et non videtur: —1°, quia semper eius oblatio erat infiniti valoris et infinite grata Deo; ergo non magis inclinabat ad nos misericordiam

eius offerendo cruciatos acerbos quam parvos. —2°, quia passiones respectu interioris oblationis habent se in Christo sicut actus exteriores respectu interioris; ergo non erat in eis maior efficacia promerendi nobis gratiam. —3°, quia alioqui sequeretur Christum paulatim impetrasse prius ut iste consequeretur salutem et postea ut ille, atque adeo cuidam v.gr. profuisse flagella, alteri coronam spineam, et non omnibus omnia quod est absurdum; ergo Christus non est magis et magis passus ut Deus hominibus magis et magis faveret.

4. Nihilominus **dico** convenientissime decretum fuisse a Deo ut fructus Passionis Christi esset iuxta mensuram Passionis ipsius, id est ut effusio Gratiae corresponderet effusioni Sanguinis, et benignitas Dei erga nos Passioni Christi pro nobis. Cum enim Deus omnia faciat in numero, pondere et mensura, et non posset summi proportio ex oblationis valore (quia finiti ad infinitum nulla est proportio) aptissime desumpta est ex ipsius Passionis magnitudine. Quis enim non videat non decere ut Filius Dei pro peccatoribus crucifigatur et nihil amplius commoveatur Pater ad misericordiam quam si solum oraret vel genua flecteret Filius. Quod si omnino decet ut Christo crucifixo benigniorem se Deus exhibeat quam si solum oraret; ergo aliqua debet esse proportio inter Christi Passionem et Dei benignitatem; ergo valde erat [...] nostra ut acerbissimos Christus toleraret cruciatos et maximas ignominias ut eo magis nobis esset propitius Pater quo maiora Filius pro nobis esset peressus. **[f.102v]**

In huius doctrinae confirmationem valent omnia loca Sacrae Scripturae in quibus magnitudo fructus refertur ad Passionis magnitudinem, ut Is 53,10 *Dominus voluit contere eum in infirmitate; si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longevum*, et postea [v.12] *fortium dividet spolia pro eo quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est*. Ad Philip 2[8s] *humiliavit se factus oboediens usque ad mortem mortem autem crucis propter quod et Deus exaltavit illum... ut omnis lingua etc.* Ad Hebr 2,18 *in eo in quo passus est ipse potens est et eis qui tentantur auxiliari*. Ad Eph 5,26 *Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea ut exhiberet gloriosam non habentem maculam neque rugam*. Ad Colos 10,19 *pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in caelis sive quae in terra*. Ad Colos 2,14 *chirographum decreti quod erat contrarium nobis tulit de medio affigens illud cruci expolians principatus traxit palam triumphans etc.*

Hoc ergo est quod modo ait Dominus *si ego exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum*. Certe trahere ad interiorem gratiae vim potius pertinet quam ad exemplum iuxta illud *nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum*; ergo ex mortis genere ortum est ut omni hominum generi allata

sit quodammodo vis per interioris gratiae impulsus, atque adeo satis significat Christus non adeo efficacem futurum fuisse impulsus gratiae Dei nisi ipse in cruce pateretur; quod si haec efficaciora auxilia gratiae Dei nobis deessent proculdubio solus maneret Christus, id est vix esset aut ne vix quidem qui ei adhaereret, et saltem maneret solus in perfectae vitae instituto “renuntiandi omnia”, et maneret solus sine gentium comitatu, nam propter acerbiteriam dolorum et mortis ignominiam *accepit gentes in haereditatem* et confirmatur ex eo quod Christus *grani frumenti* comparisonem adduxerat eo tempore quo gentiles eum nosse cupiebant, ergo iuxta aptissimam proportionem divinae ordinationis conversio gentilium respondet morti Christi et tali morti tantus fructus. Et haec divina proportio est veluti naturalis quia non decebat ut Filius Dei valde pateretur et fructus non esset uberius. Unde comparatio grani frumenti procedit iuxta cursum naturae, nam quamvis potens sit Deus granum sine illius morte multiplicare sed de potentia ordinata servat ordinem et proportionem naturae, atque ita quamvis posset Deus sine morte Christi omnes homines salvos facere, sed iuxta optimam proportionem rerum, si Christus non moreretur fructus esset exiguus aut nullus, et Christo moriente et praesertim in cruce, non potuit huius arboris fructus non esse uberrimus, quia indignum est ut agnus qui occisus est non accipiat gloriam et honorem et divinitatem etc. Oportuit ergo pati Christum *et ita intrare in gloriam suam*, et alibi *oportet exaltari Filium Hominis ut omnis non pereat*. Ad Hebr 2,10 *decebat eum per quem omnia etc auctorem salutis eorum per passionem confirmare*.

Certe carnalis consideratio videbatur de Passione deterrere cum posset absolute Deus sine morte Christi eandem hominibus gratiam tribuere, sed re bene perpensa non est visa Deo adeo terribilis mortis facies, imo potius visum est ipsi Christo multo gloriosius esse mortem libentissime oppetere et dignius Deo veluti coactum a Filio non solum pepercisse sed et suam effudisse liberalitatem in peccatores aptissimam servando proportionem. Atque id etiam erat nobis instituendis accommodatius, ut non tam horreremus poenas, et valde horreremus culpam etc.

5. Praeterea ex hac proportione Passionis Christi et liberalitatis Dei intelligitur cur ad excitandam confidentiam iubeamur considerare magnitudinem Passionis Christi. Ut ad Rom 8,9 *proprio Filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Vide quomodo statim Paulus ad certamen provocat omnes creaturas et quomodo c.4 gloriatur in tribulationibus. Ad Hebr 4 fine *habemus pontificem tentatus per omnia, adeamus ergo cum fiducia ad tronum gratiae*, et c.9,13 *si sanguis hircorum inquinatos sanctificat quanto magis sanguis Christi*,

[f.103] c.10,20 *habentes fiduciam in sanguine Christi. Verbum crucis est virtus Dei* 1Cor 1[18].

Certe haec omnia supponunt Evangelium esse virtutem Dei in nostram salutem, id est Christum Crucifixum quasi tribuisse Deo facultatem suas in nos effundendi misericordias, neque solum facultatem sed etiam quodammodo necessitatem atque ita *nos gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, et nihil aliud praedicare nisi Jesum Christum crucifixum*. Certe si ad flectendum genua nos benignitatem Dei non magis referret crucifixio Christi quam genuflexio, non esset quod adeo in cruce gloriaremur.

6. Ad argumenta, ad 1^{um} dico Deum non teneri neque posse rependere actiones Christi secundum valorem earum sive quantum ipsae sunt illi gratae. Dico non teneri tum quia omnes humanae actiones secundum quas Christus merebatur erant debitae Patri, tum quia etiam pro alieno pallio praecioso ego non teneor dare teruntium nisi velim emere. Et dico non posse quia quicquid hominibus Deus tribuere potest propter Christum, id est omnes gratiae et favores, non possunt aequare valorem meritorum ipsius, praeterquam quod certum est etiam post Passionem Christi non favere Deum singulis quantum potest. Atque ita evidenter constat mensuram divinae beneficentiae non desumi neque posse desumi ex valore meritorum Christi. Relinquitur ergo eam mensuram desumi ex eo quod decet divinam bonitatem supposita Filii incarnatione et passionibus etc. Et caecus est qui non videt maiorem beneficentiam decere iuxta maiorem Christi passionem. Ad argumentum ergo, in forma, negatur consequentia, quia non inclinatur ad modum beneficentiae valor oblationis sed rei decentia et mensura passionis. Adde quod sufficientia infinita Passionis Christi recte desumitur ex dignitate personae, sed aliud est quantum sufficiat et aliud quantum efficiat.

7. Ad 2^{um} dico id procedere de bonitate actionis Christi, et ego non dico actionem esse meliorem quo plus patitur, sed convenientius esse ut fructus sit maior, quia praecisa ratione meriti, dignum est ut quo Deus magis se humiliat eo magis evehatur. Et praeterea non consideratur a nobis Passio Christi ut distincta contra interiorem oblationem sed utrumque simul.

8. Ad 3^{um}, dico 1^o non fuisse plures actus Christi in genere meriti sed unum eundemque; nam actus ille quo se obtulit pro nobis in instanti conceptionis continuatus est per totam vitam, sed ante illum actum praevidebat Christus omnia quae Pater volebat eum pati et omnia amplexatus est simul, atque ita non impetravit paulatim Christus quamvis successive passus est.

(Dices: contentárase el Padre con que Cristo se ofreciera a Él y no consintiera que en efecto lo padeciera. Respondeo ut nosti).

Dico 2º, nullo modo sequi ex dictis non profuisse singulis totam Passionem, quia quamvis de novo oraret Christus pro aliquo, illi impetraret ut totius Passionis valor ei prodesset, praeterquam quod fieri potest ut plures donentur alicui quo plus patitur et tamen nullus determinate respondeat, v.gr. ultimo flagello quia decernere ut plures salventur non est decernere ut iste determinate salutem consequatur et determinatio singulorum non videtur pendere ex Christi Hominis voluntate quia ex eo quod plus **[f.103v]** patitur, quamvis deceat ut plures salventur, non tamen ut iste sed ille quem divina voluntas assignaverit, et in hoc verisimilius est humanam voluntatem conformari divinae quam e converso; praesertim ubi Christus nihil inveniebat in uno ut illum potius eligeret quam in alio.

(Forsam etiam ex eo quod plus passus est non est effectum ut plures salventur sed ut copiosior esset eorum salus y que se les hiciesen mayores beneficios, como el del Santísimo Sacramento).

Dico 3º, dato quod propter coranam spineam tribuatur alicui singulatim maior gratia, ut gentibus fortasse propter crucem, id non videri absurdum, quia id non provenit ex eo quod paulatim Christus impetret sed ex eo quod successive patitur et ex ipsa Passione sumatur divinae beneficentiae convenientia. Unde forsam suspicari aliquis posset et grati animi memoria secum recolare sibi de facto non fuisse concedendum adeo efficax auxilium ad salutem si Passio Christi fuisset aliqua ex parte minor, ut si salus gentium respondeat cruci et eiusmodi cruci atque doloribus ingratis quorundam copiosa salus.

9. In eadem propositione in qua Christus se comparat frumenti grano multa alia possunt expendi ut post grani mortem opus esse coeli clementia et pluvia temprana atque serotina, bona terrae dispositione et agricolae diligentia ut incrementum tandem Deus tribuat, itaque plus requiri quam Christi passionem ne quis putet sibi dormiendum esse. Praeterea potest lolium suffocare bonam sementem (Una tierra da diez y otra ciento). Et denique haec comparatio compraehendit multas alias parabolas Christi.

10. Praeterea nota quomodo quamvis homines sanctitatem respicere debeamus sicut fructum Passionis Christi, aiunt illi quosdam ex gentibus optare eius colloquio frui, et respondet magnum esse suae Passionis fructum, et inde hortatur ad sequendam crucem. Et prius quidem agit Christus de sua Passione et postea exhortatur nos ad patiendum; verum sibi non suam proponit utilitatem sed beneficentiam et sanctitatis multiplicationem, nec

enim utilitas grani est putrefieri ut plura nascantur, nobis vero ut crucem amplectamur tres proponit rationes et omnes ex nostra utilitate desumptas, nempe ex vita aeterna, ex societate Christi et ex honore apud Patrem quem consequemur (Nota cómo estas tres razones hartan el deseo de bien. Vita aeterna optime se habere ad intra; societas Christi optima frui societate; honor apud Patrem valde honorari).

11. *Qui amat animam suam perdet eam.* Haec sententia saepe repetitur a Christo, utpote quae universam fere philosophiam christianae vitae complectatur. Loca habes in margine Bibliorum. Porro ex duabus constructionibus quas affert Augustinus²¹⁸ proculdubio illa est eligenda quam ipse magis sequitur iuxta quam condemnat Christus eum qui amat animam suam et de illo pronuntiat quod perdit eam, et hoc patet tum ex aliis locis tum etiam ex contextu, cum enim dixisset granum nisi moriatur manere solum, aptissime subiicit *qui amat animam suam perdet eam*, quasi diceret de Me non dixi quod perirem sed quod manerem solus nisi morerer, de caeteris vero dico quod nisi velint animam perdere, non solum non afferent fructum sed etiam perdent id quod servare volebant. Vide Gregorium homil.32 in Evangelia, ubi hanc sententiam explicat perinde ac si agricolae dicatur frumentum si servas perdes, si seminas renovas et in aeternum servas. Porro perdere in praesenti potius est amittere quam destruere ut patet ex graeco et ex aliis locis, quamvis utraque significatio sit ad rem (*In vitam aeternam* es para siempre, ut *salientis in vitam aeternam*).

12. Augustinus per *animam* intelligit *vitam* ut alibi saepe (Mt 2 *mortui sunt qui quaereban animam pueri.* Act 20[24] *non facio animam meam praetiosiore* etc.). Quasi condemnet Christus eos qui metu mortis deserunt ipsum et laudet eos qui pro illo libenter oppetunt mortem, [f.104] id quod optime ad martyrum exhortationem et ad philosophandum in caeteris similibus; magis tamen placet ut Sacrae Scripturae verba quoad fieri potest universaliolem contineant sensum, atque ita Chrysostomus²¹⁹ homil.66, Theophylactus²²⁰ et Euthymius²²¹ non solum exponunt de vita et morte sed etiam de amore divitiarum, voluptatum et honoris et denique eorum omnium quae diliguntur in vita, et de illorum contemptu. Optimus proculdubio sensus. Sed videndum est quomodo cum contextu cohaereat, nam quidam non aliter id accipiunt nisi quia *anima* aliquando opponitur

²¹⁸ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 51.* PL 35,1766.

²¹⁹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 67(66).* PG 59,369.

²²⁰ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 12,25.* PG 124,126.

²²¹ EUTHYMIUS, *Comment in Jn 12,25.* PG 1291363.

spiritui, ut 1Cor 2 et in epistula Judae, atque ita dicitur Eccli 18[31] *si praestes animae tuae concupiscentias eius faciet te in gaudium inimicis tuis*. Num 29[7] *affligetis animas vestras*, id est ieiunabitis. Deut 14,26 *vinum quoque et siceram et omne quod desiderat anima tua* (De hoc Hieronymus²²² in id ad Gal 5 *adversus spiritum*. Augustinus, De fide et symbolo c.10, et De spiritu et anima, c.9 et 10; S. Thomas²²³ 1p, q.97, a.3).

Verum si sermo esset de anima ut opponitur spiritui non diceret Christus *qui perdidit animam propter me inveniet eam*. Quare simplicius est ut amor animae sit idem quod amor sui, et odium animae idem quod odium sui, nam saepe anima ponitur pro Homine, ut quando numerantur animae, id est homines, et in locis etiam adductis ea videtur aptior constructio. Et notum est viris spiritualibus quid sit abnegare et odisse et contemnere seipsum, et contra, quid sit amor sui ipsius. Non deerit etiam fortasse qui dicat animam in praesenti poni pro re valde amata, et sensus eodem spectat.

13. ***Nunc anima mea turbata est***. Haec verba optime explicantur a multis et cum praecedentibus connectuntur. Maior est in sequentibus difficultas, sunt enim qui huiusmodi constructionem sequantur: et quid dicam? Ora bone ut Pater me salvificet? Minime, sed potius libenter subibo crucem, quia propterea veni in hanc horam, quare, fiat tua voluntas o Pater et clarificetur nomen tuum. Hanc constructionem tribuit D.Thomas Chrysostomo, neque ipsi divo Thoma²²⁴ displicet. Eandem sequitur Titelmanus et tribuit Theophylacto, sed Chrysostomus suboscure loquitur et ab eo desumpsit Theophylactus²²⁵ verba, explicatio vero non placet non solum quia addit interrogationem textui sed etiam quia secundum illam pronunciat Christus se non esse oraturum ut transeat ab eo calix, et tamen oravit postea. Multo ergo aptius est ut Christus dicat nunc id quod in simili perturbatione dixit in horto, nempe ut prius partis inferioris affectum proponat et dicat *Pater, salvifica me*, et postea se ipsum ad patiendi constantiam hortetur, atque ita tandem Patri dicat *non mea voluntas sed tua fiat, clarificetur nomen tuum*. Hanc explicationem aperte sequitur Augustinus²²⁶ atque Cyrillus, a quibus desumpsit Erasmus, et eandem in annotationibus tribuit Titelmanus Chrysostomo (El *quid dicam* explicat Chrysostomus²²⁷ quasi diceret quo me vertam? otros quasi diceret quid ergo dicam, ut a se interroget et sibi respondeat).

²²² HIERONYMUS, *Commetar in epist ad Gal 5,17*. PL 26,439.

²²³ THOMAS AQ., *1p, q.97, a.3*. Ed. Vivès, t.1, p.608.

²²⁴ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.12*. Ed. Vivès t.17, p.584

²²⁵ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn 12,27*. PG 124,127.

²²⁶ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 52*. PL 35,1769s.

²²⁷ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 67(66)*. PG 59,371.

14. *Et clarificavi et iterum clarificabo.* Multi optime, sed forsam legitima explicatio est *et clarificavi mittendo te et iterum clarificabo mittendo Spiritum Sanctum propter te.* Nam hac duplici missione continetur duplex et utraque insignis divinae gloriae illustratio.

Lectio 3^a

Nunc iudicium est mundi

(Graece κρίσις nosti morem medicorum)

1. Cum ad hunc pervenissem locum allati sunt mihi commentarii Francisci Toleti²²⁸, ad quem in pluribus deinceps lectorem remittam propter egregiam doctrinam et claritatem. In praesenti ergo expositionem Augustini quam citat, sequuntur Beda²²⁹ et S.Thomas²³⁰. Et Chrysostomum de more sequitur Theophilactus; Augustinus²³¹, de liberatione mundi intelligit; et Chrysostomus²³² punitionem daemonis in ultionem mundi. Uterque ergo interpretatur de iudicio a Deo lato aut facto [f.104v] in favorem mundi, id est in favorem hominum, et confirmare possent quia in Scriptura iudicium alicuius dici solet quando in favorem eius iudicatur, et ipse liberatur et vindicatur. Ut Ps 16[2] *de vultu tuo iudicium meum prodeat.* Ps 9[5] *quoniam fecisti iudicium meum.* Ps 25[2] *iudica me Domine quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Ps 71[5] *iudicabit pauperes populi et salvos faciet filios.* Toletus²³³ vero paulo aliter explicat, pro quo nota quod iudicium dirimit litem atque ita considerandum est qui sint litigantes et de qua re litem habeant. Patres videntur inducere mundum et daemonem tanquam litigatores, mundum quidem actorem daemonem vero reum, in qua expositione debet expendi quam iniuriam irrogaret mundo daemon. Toletus vero existimat contextum postulare ut mundus sit res de cuius dominio Christus cum daemone contendebat, et iuste iudicatum esse a Deo ut eiiceretur foras daemon, id est ut privaretur dominio et possessione mundi, et Christus omnia ad se traheret, id est mundum in suam redigeret potestatem.

Ad phrasim ergo Sacrae Scripturae Respondeo multipliciter dici posse iudicium mundi: —1^o, pro iudicio quod mundus facit, sicut iudicium regis, iudicium Dei.

²²⁸ FRANCISCUS TOLETUS, *In Sacrosanctum Joannis Ev commentarii.* Roma 1588, col.1013.

²²⁹ VENERABILIS BEDA, *In S.Jn Ev expositio 12,31.* PL 92,792.

²³⁰ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.12.* Ed Vivès t.17, p.585.

²³¹ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 52.* PL 35,1771.

²³² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 67(66).* PG 59,372s.

²³³ FRANC. TOLETUS, S.I., *In sacros. Jn Ev commentarii, c.12.* Coloniae, 1589, col.1011.

—2°, pro iudicio in favorem mundi, ut supra. —3°, pro iudicio in condemnationem mundi sicut saepe iudicare est condemnare. —4°, pro iudicio de mundi dominio et possessione, sicut dicimus que salió sententia del Marquesado de Villena. Itaque eiusmodi genitivus habet multiplicem vim. Et dicitur etiam iudicium mortis id est de inflingenda morte (Forsam etiam hic est bonus sensus como que pone Dios el juicio de a quién quiere por Señor en manos del mundo y el mundo desecha al demonio y se va tras Cristo. *Totus mundus post eum abit. Omnia traham ad me ipsum*).

2. Obiiciunt aliqui aequivocationem illius nominis *mundi*, nam iuxta dicta, cum dicitur *nunc iudicium est mundi*, mundus ponitur pro omnibus hominibus, cum vero daemon appellatur *mundi princeps* mundus designat peccatores. Respondeo utrobique designare in communi filios Adae consideratos praecise absque gratia Christi.

3. Non desunt qui iudicium in praesenti pro condemnatione accipiant, quasi diceret Christus: nunc mea morte condemnabuntur omnium hominum mundanorum studia et evertetur regnum superbiae ambitionis et avaritiae et omnis peccati. Et facit id 1Jn 2[16] *omne quod est in mundo concupiscentia oculorum et superbia*. Facit etiam id Ps 71[7] *orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis*.

4. ***Nunc princeps huius mundi eiicietur foras***. Praeclare Toletus²³⁴. Vide id Habacuc 3[5] *ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius*.

5. ***Omnia traham ad me***. Augustinus²³⁵ et Beda²³⁶ expresse notant non dictum esse *omnes* sed *omnia*. Bene tamen probat Toletus²³⁷ referendum esse τὸ *omnia* ad homines. Porro, cum adductis patrum explicationibus ipse acute distinguat et Christi potestati quantum ad dominium etiam malos subiectos esse interpretaetur, mihi tamen multo verisimilius est non de suo iure et potestate Christum agere sed de suae Passionis efficacia in adducendis hominibus ad fidem et obedientiam Evangelii et ad perfectioris vitae studium. Primo quia contextus videtur hunc postulare sensum, cum derivetur sermo ab illa metaphora *nisi granum frumenti mortuum fuerit ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum affert*, de quo late lectione.

²³⁴ FRANCISCUS TOLETUS, *In Sacros. Jn Ev commentarii, c.12, annot 17*. Roma 1588, col 1017.

²³⁵ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 52*. PL 35,1773.

²³⁶ VENERABILIS BEDA, *In S.Jn Ev expositio, 12,31*. PL 92,793.

²³⁷ FRANC. TOLETUS, *In Sacros. Jn Ev commentarii, c.12, annot 14*. Roma 1588, col 1021.

2^a. Deinde quia dum Augustinus et Gregorius de praedestinatis intelligunt, et Chrysostomus²³⁸, Athanasius et Basilius de fide mundi, et Ambrosius de iudaeis et gentibus et de Christi Domini agnitione, omnes istae explicationes eodem spectant, et varia ratione eundem continent sensum, nempe Christi Passione effectum esse ut totus mundus id est omnes fere nationes Christi fidem libenter reciperent, et ex omni aetate, sexu et conditione innumeri ad Christum crucifixum omnia relinquentes [f.105] evolarent, atque ita ipse praedestinos ex omnibus gentibus colligeret et omnium Dominus agnosceretur. Adde quod in Toleti explicatione non attenditur ad proprietatem illius verbi *traho*, in quo optime philosophatur Augustinus adducens illud Poetae *trahit sua quemque voluptas*, id quod alii in magnetis vi attractione optime repraesentari notant.

6. In fine huius loci proponit dubium Toletus²³⁹ quomodo nunc dicatur ipse Christus attrahere, cum Jn 6 dictum sit *nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum*. Et bene quidem respondet ex Justino atque Chrysostomo²⁴⁰. Verum ego existimo in hac diversitate loquutionis explicari quomodo Christi Passio trahat homines, nempe quia efficit ut Deus trahat illos. Vide supra lectione 2, n.9.

7. ***Quomodo tu dicis oportet exaltari Filium hominis?*** Duo dubia proponit Toletus²⁴¹, et bene quidem explicat, quamvis in primo non mihi displiceat coniectura Jansenii²⁴² qui suspicatur crucifixionem eo tempore solitam ea metaphora explicari, sicut modo nos suspendium appellamus exaltationem a terra. Neque probat Toletus obscurius Christum innuisse, nam verbum significandi ad apertam metaphoram pertinere potest.

8. ***Adhuc modicum lumen in vobis est.*** Si vera lectio graeca est *adhuc modicum tempus lumen in vobis est*, non habet locus expositio Augustini²⁴³, S.Thomae²⁴⁴ et Lyrae de modico lumine (ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς ὑμῶν ἐστίν). Si vero *tempus* additum est ab aliquo in graeco ut suspicantur Jansenius²⁴⁵ et Erasmus²⁴⁶, non est cur dicant articulum impedire ne

²³⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 67(66)*. PG 59,373.

²³⁹ ID, *Ibid*, col 1024.

²⁴⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Ev homil 67(66)*. PG 59,373.

²⁴¹ ID. *Annot. 16*. Col 1025.

²⁴² JANSSENS, *In Concordiam c.111*. Lugduni 1580, p.777.

²⁴³ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 52*. PL 35,1774.

²⁴⁴ THOMAS AQ., *In Jn Ev c.12*. Ed Vivès t.17, p.586.

²⁴⁵ JANSSENS, *In Concordiam c.111*. Lugduni 1580, p.778.

²⁴⁶ DESID. ERASMUS, *Jn 13,35. Opera omnia, tomo 6*, Lugduni 1705, col. 391.

modicum sit adiectivum *luminis*. Sicut patet in iis phrasibus todavía tenéis negro el cabello y corta ciencia y estrecha la conciencia. Quod vero attinet ad contextum utraque explicatio bene habet quamvis mihi magis arrideat graecorum expositio cum Toleti²⁴⁷ connexione. Vide id Aggei 2,7 *adhuc modicum*, quod Paulus ad Hebr 12,26 citat *adhuc semel*.

9. ***Ut non tenebrae vos comprahendant.*** Hinc patet sensus eius quod dicitur Jn 1[5] *et tenebrae eam non comprahenderunt*.

10. ***Domine quis credidit auditui nostro?*** Caetera optime Toletus²⁴⁸. Quod vero negat prophetam nomine Apostolorum loqui non mihi probatur, propter locum Pauli ad Rom 10[16] in quo praedicatores Evangelii inducit conquerentes apud Deum; itaque verba sunt Christi et suorum predicatorum. Porro quod auditus accipiatur pro verbis auditis confirmatur ex illo Habacuc 3[2] *Domine audivi auditionem tuam et timui*.

[f.105v]

11. ***Propterea non poterant credere.*** Explicat Jansenius²⁴⁹ in sensu composito. Ridiculum sane et alienum a consuetudine Sacrae Scripturae. Multo aptius Toletus²⁵⁰.

12. ***Excaecavit oculos eorum.*** Docte Toletus²⁵¹. Adde tamen Deum dum dicitur excaecari et obdurare in supplicium peccatorum adhibere occasiones et offendicula in quibus ex eorum malitia praevidet eos esse excaecandos. De quo alibi late. Et nota praeterea in contextu prophetae merito dubitari posse an alloquatur propheta Deum dum ait *excaeca cor populi huius*, vel Deus prophetam in persona Christi id est Christum, ita ut significetur Christus sua praedicatione excaecasse iudaeos vel Deus prophetam simpliciter excaeca id est scribe excaecandos esse, et utcumque sit bene habet.

13. ***Quando vidit gloriam eius.*** Bene explicat quaestionem Toletus²⁵² in annotatione 24. Si Esaias in illa visione aliquomodo tres personas distinxit sed dato quod eius oculis non fuerit obiecta nisi simplex quaedam imago veluti unius hominis, haec figura representabat Deum, non quidem

²⁴⁷ TOLETUS, *In Jn Ev Commentarii, c.12, annot. 17*. Roma 1588, col 1027.

²⁴⁸ TOLETUS, *In Jn Ev Comm. C.12*. Coloniae 1589, col.1029.

²⁴⁹ JANSSENS, *In Concordiam c.111*. Lugduni 1580, p.781.

²⁵⁰ TOLETUS, *In Jn Ev comment c.12, annot 20*. Roma 1588, col 1035.

²⁵¹ TOLETUS, *In Jn Ev comment c.12*. Roma 1588, col 1037.

²⁵² TOLETUS, *In Jn Ev comment, c.12, annot 24*. Roma 1588, col 1047.

distincte Patrem, Filium, neque Spiritum Sanctum sed eorum unicam naturam et maiestatem. Atque adeo per illam speciem tota Trinitas loquebatur Isaiae et in ea videbat maiestatem Filii, non quia videbat Patrem; et eadem est utriusque maiestas sed quia apparebat illi Deus qua Deus est non magis videbat Patrem quam Filium. Sicut ergo verum est Filium Dei creasse mundum, ita etiam verum est apparuisse Esaiae in gloria. Et haec mihi videtur esse legitima Doctorum explicatio. Vide Damascenum²⁵³, Epistolam de Trisagio, ubi citat Basilium 4 Contra Eunomium. Lege 5 Contra Eunomium²⁵⁴ c.5. Et nihilominus, licet ex parte figurae quam videbat non agnosceret Esaias Trinitatem, sed iam ipse sciebat eum Deum quem videbat in illa specie esse trinum et unum, et propterea intellexit quorsum spectaret illa repetitio Sanctus Sanctus Sanctus. Non nego quin possit Deus triplicem figuram oculis obiicere in qua distinguantur personae repraesentatae, sed aio non esse facile asserendum id concessum fuisse Esaiae, et simplicius esse Scripturam et Patres dum de antiquis Dei apparitionibus agunt interpretari de apparitione Dei indistincta quam de apparitione Patris aut Filii distincta, praesertim ubi nihil verisimile fingi potest per quod species aut figura sensibus obiecta ad unam aut alteram Personam determinetur, nam unio quidem realis, id est incarnatio debuit ad hypostasim terminari quia sustentare naturam non est nisi suppositi at vero unio per repraesentationem multo facilius terminatur ad Deum ut sic, quia Deus ut sic, facile repraesentatur, et singularis Persona non repraesentatur nisi ut aliquid ei tribuatur quod ad illius propriam notionem spectat; cum ergo in antiquis apparitionibus nihil eiusmodi reperiatur simplicius est asserere in eis vere Patrem apparuisse et vere Filium et vere Spiritum Sanctum, quia apparebat absolute Deus; atque ita facile conciliabuntur diversae sanctorum loquutiones et facile intelligetur veritas, cum alioqui somniandum sit cur in hac vel illa apparitione dicatur sigillatim apparere Pater aut Filius cum nihil in ea sit quod non competat utrique et Spiritui Sancto, neque fingi possit unio realis ad unum eorum peculiariter terminata.

(Si alguien dijese que la particular razón de ser representado el Hijo en las apariciones antiguas era el ser visto en figura humana ut denotaretur eius futura incarnatio probabiliter loqueretur. Y a lo que dice S.Pablo, Act ult. que Spiritus Sanctus loquutus est per Esaia[m] [28,25] Respondeo que no quiere decir que la Persona que le apareció a Isaías era el Espíritu Santo, sino que apareciéndole el Hijo escribió con espíritu de Dios aquellas palabras y las profecías se atribuyen al Espíritu Santo, como la Encarnación que fue obra

²⁵³ JOANNES DAMASCENUS, *De hymno Trisagio epistola*. PG 95,51

²⁵⁴ BASILIUS, *Adversus Eunomium*, l.5. PG 29,722.

de Spiritu Sancto, pero con todo eso el que apareció no fue el Espíritu Santo sino el Hijo, como el que encarnó fue solo el Hijo).

Quod si quis dicat non opus esse aliam unionem requirere nisi voluntatem Dei qui potest velle [f.106] ut haec species et figura repraesentet Patrem et non Filium aut e converso. Animadvertat obsecro species et figuras per quas spiritualia corporaliter apparent, ut Deus et angeli, non repraesentare ad placitum ex mera impostione, sed naturaliter ex aliqua naturae accommodatione quae spiritui deservit, atque adeo species quae ex aequo utuntur Pater et Filius et Spiritus Sanctus et quae non magis uni accommodantur quam alteri non magis repraesentat unum quam alium.

14. *Et qui videt me videt eum qui misit me.* Cum bona Toleti²⁵⁵ venia durissimum est ut ratione unius divinitatis ex eo quod videntes corporaliter Christum vident aliquomodo Filium Dei, dicantur etiam videre Patrem, quia neque divinitatem Christi dicerentur videre, sed Filium ipsum. Praeter illam ergo explicationem de fide et de visione in patria, dupliciter mihi videtur aptissime iste locus explicari: 1º, per similitudinem, nam si Petrus v.gr. Joanne maxime referat aut faciei lineamentis aut actionibus, apte dicemus eum qui vidit unum eorum vidisse etiam alterum; 2º, per aequalem potestatem, nam si duo homines, pater et filius eandem omnino potestatem exercent et unusquisque eorum in solidum possit ac alter, si quis optaret videre patrem ut ab eo impetraret aliquid merito diceretur ei perinde esse videre filium et qui videt filium videre etiam patrem quia nihil potest pater quod non possit ex aequo filius.

15. *Si quis audierit verba mea et non custodierit.* Valde inclinatur Toletus²⁵⁶ legendum esse cum Ambrosio *si quis audierit verba mea et custodierit* affirmative. Verum pro vulgata lectione meo iudicio est evidens argumentum ipse contextus, quid enim est *ego non iudico eum qui custodierit mandata mea, non veni ut iudicem mundum sed ut salvificem.* Caetera optime Toletus.

[f.106v]

C. 13

1. *Ante diem festum Paschae.* Inter eas opiniones quas impugnat Toletus²⁵⁷ debuisset etiam impugnare novam opinionem Josephi Scaligeri qui existimat, in suo libro *De emendatione temporum*, Christum atque iudaeos legitimo

²⁵⁵ TOLETUS, *In Jn Ev comment c. 12.* Roma 1588, col 1051.

²⁵⁶ TOLETUS, *In Jn Ev comment c.12, tract26.* Roma 1588, col 1056.

²⁵⁷ TOLETUS, *In Jn Ev comment c.13, annot 1.* Roma 1588, tomo 2, col 5.

tempore celebrasse agnum paschalem sed solemnitatem paschalem non incepisse usque ad vesperam sequentis diei, atque ita Christum non fuisse passum in die festo.

2. ***In finem dilexit eos.*** Optime Toletus, sed vide quae annotavimus in titulo Psalmi 4.

3. ***Et coena facta.*** Nota 1°, Toletum²⁵⁸ reiicere illam expositionem in qua cena facta ponitur pro cena parata, quod nos dicimus “hecho de cenar”, et nihilominus Augustinum²⁵⁹ in suam expositionem adducere conatur. Nota 2°, multum lucis afferre huic capiti ea quae Josephus Scaliger adducit ex rituali hebraeorum in suo libro *De emendatione temporum* fol. 271 et praeterea ubi de secundis mensis et duplici lotione etc.

4. ***Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus et quia a Deo exivit et ad Deum vadit.*** Magis placet communis expositio quam ea quam sequitur Toletus.

5. ***Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim.*** De omnibus verum erat quod dixerat *si haec scitis beati eritis si feceritis ea*. Sed quia ex verbis praecedentibus *non estis mundi omnes* intelligi poterat conditionem illam continere aliquam comminationem, quasi diceret *beati eritis si feceritis ea sed non facietis*, ideo subdit *non de omnibus vobis dico*, quasi diceret y esta manera de hablar no amenaza a todos. Porro illa verba *ego scio quos elegerim* optime explicat Toletus²⁶⁰ cum sequentibus *sed ut adimpleatur Scriptura. Et qui accipit si quem misero me accipit*.

6. Ex illo rituali quem citat supra Scaliger (si vera sunt quae ille refert) constare videtur *panem intinctum* quem Dominus dedit Judae esse ex illa offa quae ante communionem sumpta est. Nec tamen inde sequitur veram esse opinionem Hilarii²⁶¹ qui existimat Judam non communicasse quia fortasse quod Joannes ait *et post bucellam introivit in eum Satan* non est idem quod post panem intinctum, sed post bucellam, id est post acceptam particulam panis benedicti et consecrati. Et utcumque hoc sit annotatio 22^a Toleti²⁶² in qua nondum fuisse Eucharistiam institutam tenet quando Christus protestatus est etc contradicere videtur ei quod notat super illis verbis *et cum*

²⁵⁸ TOLETUS, *In Jn Ev comment c.13, annot 7*. Roma 1588, t.2, col 21.

²⁵⁹ AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 55*. PL 35,1786.

²⁶⁰ TOLETUS, *In Jn Ev comment c.13, annot 19*. Roma 1588, t.2, col 47.

²⁶¹ HILARIUS, *Comment in Mt c.30,2*. PL 9,1065.

²⁶² TOLETUS, *In Jn Ev comment c.13, annot 22; 28*. Roma 1588, col 55; 65.

intinxisset panem dedit Judae; si enim praecesserat Eucharistiae institutio, ergo antequam Dominus de suo proditore loqueretur instituta fuerat, neque enim inter sermonem de proditore et inter panem intinctum ei datum potest locum habere institutio Sacramenti.

7. Ordo ergo legitimus est, ut primum paschalis agnus manducatus sit, et deinde Christus laverit pedes discipulorum quo tempore solebant se iudaei abluere (pro secundis mensis ut aiunt), deinde in locum bellariorum adductum est in triblio acetarium ex intubis et lactucis agrestibus una cum embamate in quod azima et amara illa olera intingebant, et tunc egit Dominus de [f.107] suo proditore et intinctum ei panem porrexit. Deinde Dominus ceremoniam quandam iudaeorum qui solebant sub mappa aliam tortam azimam reservare et in tot frusta parva magnitudine [...] frangere quot erant convivatores et per ordinem distribuere et poculum similiter circumferre hunc ritum Dominus ad institutionem Sacrosanctae Eucharistiae traduxit, et hymno dicto tunc egressus est Judas, nec enim verisimile videtur ante finitam coenam egressum.

(Si va a decir la verdad, del *continuo exivit* se saca que no comulgó si la ensalada era por modo que el pan bendito. Respondeo que ἐυθέως es poco después, ut v. 32 *et continuo clarificabit eum* y no fue tan statim el principio de la Pasión).

8. *Nunc clarificatus est Filius Hominis* etc. Valde optarem ut non acciperemus hic praeteritum pro futuro, quia id apparet in praesenti auribus non arridere, et Evangelista videtur notare statim ac egressus est Judas haec verba protulisse Dominum in quo videtur aliquid tunc contigisse propter quod Dominus se iam clarificatum dixit, addo quod distinguere videtur Dominus clarificationem quam fuerat consequutus ab ea quam erat consequuturus: ait enim *nunc clarificatus est Filius Hominis et Deus clarificabit eum*. Praeterea Dominus coniungit clarificationem suam cum clarificatione Dei dicens *nunc clarificatus est Filius Hominis et Deus clarificatus est in eo*, et quasi in praemium huius divinae glorificationis ait se cito glorificandum esse a Deo, atque ita manifeste videtur distinguere praeteritum a futuro. Quod ergo ait in praeterito se iam esse clarificatum et clarificasse Deum, dupliciter intelligi posse videtur in praeterito, nempe aut ratione institutae Eucharistiae cum exemplo tantae humilitatis et charitatis quod erat gloriosissimum; aut ratione illorum verborum *quod facis fac citius* si intelligamus Christum non potuisse pati quousque ipse vellet, et tunc sua permissione quasi facultatem tribuisse Judae ut eum cito traderet quasi loquendo cum Juda apud se daemonibus etiam dictum vellet et eos ad pugnam provocaret. Et sic videtur

intelligendum quod Toletus²⁶³ adducit ex Cyrillo, notatione 26. Contemplare igitur aliquem insignem ducem qui pugnaturus cum hoste iustis de causis distulit pugnae tempus quando iam tandem mittit nuncium ad adversarium ut citissime veniat, nonne ille tunc dicere posset se tunc magnam esse adeptum gloriam et honorificentissime egisse (Cuando envía el desafío). Ea ergo ratione Christus ait *nunc clarificatus est Filius Hominis et Deus in eo*, quia ad Dei gloriam pertinebat illud praeclare gestum daemonem lacesse ad singularem certamen, et in illa provocatione et hostis expectatione suae virtutis continetur velut insignis totius gloria certaminis. Propterea ergo ait se in eo magnam comparasse gloriam quia se praeclarissime gesserat mittendo veluti nuncium per ipsum traditorem, et quia id maxime cedebat in gloriam Dei Patris ideo maiorem sibi ab illo et in illo promittit claritatem in resurrectione et Ascensione, et quod statim incipiet Pater ipsum clarificare in Passionis victoria et virtute.

9. De illis verbis *quaeritis me et quo ego vado vos non potestis venire*, vide supra c.7, lectione 2, n.7, ubi aliter explicavi quam Toletus²⁶⁴ hic.

De novitate vero mandati, praeclare ille.

De praedictione negationis Petri diximus in lectione de Passione, n.4, aliter quam Toletus quia praedictio quam narrat Lc est prima omnium.

[f.108]

De Passione Domini ex omnibus Evangeliiis

Lectio 1^a

A transitu torrentis Cedron usque ad Domini comprehensionem

1. De anno et die Passionis dominicae et an anticipaverit esum agni paschalis nihil mihi disputandum est. Solum moneo post varias eius rei explicationes Josephum Scaligerum libro 6 *Emendationis temporum* huic rei novam lucem afferre voluisse ex multa historia et astronomia depromptam, ubi etiam nonnulla affert de caenae paschalis receptis ritibus et caeremoniis, digna scitu si vera sunt. Ego Passionis tractationem a transitu torrentis exordior, et suppono id contigisse in nocte feriae 5, et Dominum feria sexta fuisse crucifixum. In iis vero quae circa diem videbuntur habere difficultatem in concordia Evangelistarum mihi satis erit explicare quomodo variae narrationes cohaerere possint (A c.137 Concordiae Jansenii. A c.11 libri 6 Joannis Bovis).

²⁶³ TOLETUS, *In Jn Ev comment c.13, annot 26*. Roma 1588, col 63.

²⁶⁴ TOLETUS, *In Jn Ev comment c.13*. Roma 1588, col 69.

2. Mt et Mc aiunt egressum fuisse Dominum *post hymnum dictum*. Hunc hymnum D.Thomas²⁶⁵ putat fuisse orationem quam Jn refert habuisse Christum ad Patrem, nempe *venit hora, Pater clarifica Filium tuum etc.* Sed haec opinio ex graeco refellitur, ubi in plurali legitur *et cum dixissent hymnum exierunt*. Jansenius²⁶⁶ cum graecis putat hunc hymnum fuisse actionem gratiarum solitam dici post caenam; alii referunt ad novam actionem gratiarum post institutam Eucharistiam. Vide Chrysostomum²⁶⁷ homilia 83 in Mt. Sed multo verisimilius est sermonem esse de iis Psalmis qui in ea solemnitate secundum veterem institutionem canebantur post coenam. Scaliger, *De emendatione temporum* libro 6, pag. 273, ait Psalmum 113 esse eum qui iuxta rituale dimissa coena paschali accinebatur. Burgensis in additione ad Ps 112 quinque alios Psalmos adiungit. Lege utriusque verba, ex quibus etiam colligitur non fuisse dictum hymnum cum iam egredi volebant, ut intellexit Augustinus atque Jansenius c.137, sed ante colloquium et orationem Christi, quia non est verisimile concionem interpositam gratiarum actioni. Ergo hymno dicto post coenam habuit Christus orationem ad suos et ad Patrem, et tunc egressi sunt ex coenaculo, vel colloquente cum eis Christo exierunt ex coenaculo post illa verba c.14 *surgite eamus hinc*, et in via prosequutus est Christus ea quae sequuntur *ego sum vitis vera etc* et paulatim ambulando vel oportuno loco consistendo ante transitum torrentis o estándose paseando a la ribera, a la luna, porque era en oposicion y bien de noche, ut patet Jn 13,30. Aliter Jansenius²⁶⁸ in fine c.134, ex Augustino, vide. Longum ad eos habuit sermonem, et post illum orationem ad Patrem. Qua finita statim transivit torrentem. Si haec ita sunt melius intelligitur quomodo Mt et Mc dicant hymno dicto exiisse in montem, quasi dicerent statim fere post hymnum ex coenaculo exiisse versus montem Olivetum et quomodo etiam verissime intelligamus quod significat Joannes, nempe post concionem et orationem egressum fuisse trans torrentem, id est transisse torrentem et a civitate discessisse (Memento transitus Davidis 2Regum 15[23]).

3. (Getsemani vallis pinguis. Kidron obscuritas. Valla correpit nostrum interpraetem quod reddat praedium et villam et hortum; sed ex dictionariis patet sic potuisse verti et non hic agitur de elegantia).

Descriptionem torrentis Cedron et montis Oliveti necnon et horti seu praedii Getsemani et veras significationes ad mysticos sensus vide in

²⁶⁵ THOMAS AQ., *In Mc Ev c.14*. Ed Vivès t.16, p.633.

²⁶⁶ JANSSENS, *In Concordiam c.137*. Lugduni 1580, p.984.

²⁶⁷ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Mt Ev homil 82(83)*. PG 58,740.

²⁶⁸ JANSSENS, *In Concordiam c.134*. Lugduni 1580, p.947.

Jansenio²⁶⁹. Et nota idem esse Joanni *hortum*, Mathaeo *villam* et Marco *praedium*, veluti id quod Granatae *carmen* appellant. Et patet quia quod alii dicunt relictos esse discipulos in Getsemani, Joannes ait omnes introisse in hortum. Sed inter rationes quas affert Jansenius²⁷⁰ propter quas Dominus non mansit Hierosolymis ut ibi caperetur sed voluit extra civitatem comprahendi illa non videtur apta, nempe ut videretur furorem persequentium declinare. Certe iam non erat declinandi tempus [f.108v] et potius videretur velle latere traditorem si maneret in coenaculo, quia omnino quaerendus erat in loco in quo pernoctare consueverat. Unde Lc ait c.22,39 *et egressus ibat secundum consuetudinem in montem olivarum*, quia dixerat c.21,37 *erat autem diebus docens in Templo, noctibus vero exiens morabatur in monte Oliveti*, unde Jn 18,2 *sciebat autem et Judas qui tradebat eum locum*. Ergo potius ostendit se libenter expectare traditorem. Vel e contra fortasse ideo frequentabat locum quia eum elegerat suae Passionis initio cuius flagrabat desiderio, et locum extra civitatem elegerat ut oportunitatem daret inimicis capiendi ipsum, quia intra ipsam non fuissent ausi capere metu populi, aut si tentassent forte tumuante populo desisterent. Quare si aliquomodo videtur fugere haec fugae simulatio est ardentioris desiderii inditium iuxta arcanam amantium proprietatem qui eo magis videri optent quo magis apparet eos velle latere. Sed de hoc alibi.

4. Post egressum ex coenaculo in montem Oliveti sequitur in Mt et Mc praedictio negationis Petri, et quamvis eam collocet Jansenius²⁷¹ ante concionem Domini, multo tamen verisimilius est eam in via contigisse, nam Mt et Mc diserte aiunt hymno dicto exiisse Dominum in montem Oliveti et tunc dixisse discipulis *omnes vos scandalum patiemini*, et Petro *ter me negabis* et tunc venisse in villam Getsemani. Sed quid quod Jansenius sequitur ordinem Joannis qui non solet ab ordine historiae discedere? Respondeo ex Augustino²⁷² 3, c.2, Dominum ter praedixisse Petro negationem, quia ter ille suam praesumptionem ostendit ex diversis occasionibus: semel, ut narrat Jn quando Christus dixit ei *quo ego vado non potes me modo sequi* et ille *quare non possum te sequi modo, animam meam ponam pro te* etc. Et iterum ut ait Lc post contentionem discipulorum dicente Domino *Simon ecce Satana expetivit vos* etc respondit ille *tecum paratus sum* etc. Et iterum secundum Mt et Mc dicente Domino in via *omnes vos scandalizabimini in nocte ista, quia scriptum est* etc. Sed

²⁶⁹ JANSSENS, *In Concordiam* c.137. Lugduni 1580, p.985.

²⁷⁰ JANSSENS, *In Concordiam* c.137. Lugduni 1580, p.985.

²⁷¹ JANSSENS, *In Concordiam* c.133. Lugduni 1580, p.925.

²⁷² AUGUSTINUS, *Evangelistarum*, l.3, c.2. PL 35,1160.

praedictio quam narrat Lc, cum pace Augustini, videtur esse 1^a, statim post discessum Judae vel fortasse cum illo, quia omnino illa contentio cum qua coniungitur inter coenandum contigit quia dixit Dominus *ecce manus tradentis me mecum est in mensa et ipsi coeperunt quaerere inter se, facta est autem contentio inter eos*. (Y aun por ventura estuvo Judas presente a aquella figurada manera de hablar de gladiatorum emptione. Perpende obsecro, si Judas estaba presente, qué pretendió Cristo). Ait autem Dominus *Simon ecce Satanas*, et denique praedixit ei negationem. Cum ergo non sit verisimile contentionem illam subortam fuisse post Domini concionem et orationem, sequitur Lucam narrare primam praedictionem, alteram narrat Joannes statim post mandatum charitatis ante reliquam concionem, et tertiam denique Mt et Mc in via, imo vero ut apparet, post transitum torrentis Cedron, nam Mt omnino significat perventum esse in Getsemani dum discipuli omnes una cum Petro singuli dicerent *etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo*. Certe optime correspondet trina praedictio trinae negationi ut qui ter admonitus semper de se confidebat et numquam suam praesumptionem correxerat, merito sineretur cadere in trinam negationem ut ter puniretur illa praesumptio (Y después trina interrogatio *Petre amas me?*). Et hac ratione futurae perturbationi et incredulitati discipulorum aptissime providet Dominus ut post lapsum meminissent in ultimis verbis post transitum torrentis eorum scandalum praedictum fuisse a Domino, ut in ipsa perturbatione illius experirentur veritatem atque adeo sperarent resurrectionem quam simul praedixerat.

5. Dum autem ait ***praecedam vos in Galilaeam*** eorum se cogitationibus attemperat qui videntes magistrum crucifixum cogitaturi omnino erant de fuga in Galilaeam, id est in patriam ut eo tempore illis accurreret non tam cito in Galilaeam posse perveniri quin eos post resurrectionem Dominus praeveniret. Et certe in Galilaea ab eo erant magis visitandi et instruendi.

[f.109]

6. De oratione Domini in horto nihil prorsus refert Joannes. Sed horti nomine proculdubio comprehendit locum Getsemani ubi discipuli manere iussi sunt quia ait Dominum cum discipulis suis in hortum introisse, ergo unus et idem hortus amplectitur illa tria loca quae caeteri evangelistae distinguunt primum illius rupis ubi manserunt octo discipuli et alterum quo secum deduxit Dominus tres dilectos et tertium ubi oravit. Sic enim sancti loquuntur Dominum orasse in horto. Et Hieronymus²⁷³, De locis hebraicis, dicit Dominum orasse in Getsemani, ergo idem est hortus et Getsemani.

²⁷³ HIERONYMUS, *De situ et nominibus locorum hebraicorum*. PL 23,950.

Ut supra diximus. Sed inter haec tria loca descriptiones Terrae Sanctae referunt in 1° Abrahamum immolaturum Isaac reliquisse servos secundum antiquam traditionem et in alterum deductos esse ab Angelis primos parentes a Paradyso eiectos et ibi laborasse et accepisse revelationem Passionis Christi. Verum haec indoctae plebis traditiones non faciunt fidem. Magis credibile est quod aiunt locum ubi relictis sunt octo discipuli esse remotiorem a torrente ut illic securius orarent atque ita inde reversum fuisse Dominum et suae orationi elegisse locum viae proximiorum ut prius in illum inciderent inimici et videretur ipse suae Passioni tanquam dilectae obviam procedere et honorifice excipere illam. Comitatus Petro, Joanne et Jacobo quibus mystice admonemur vel in prosperis vel in adversis semper nobis utendum esse earum virtutum auxilio quae per illos designantur nempe Fide Spe et Charitate, nam valde illuxit fides in Petro, charitas in Joanne, spes in Jacobo in hispanica praedicatione ubi minus videbatur affulgere.

7. Dubitatur cur Dominus prius iusserit manere octo discipulos et postea etiam tres reliquos? Respondeo non obscure significari a Luca quam aegre ferret Dominus a suis separari, ait enim *avulsus fuisse ab eis*, nempe quia in suis electis radices egerat Eccli 24,13, como si le arrancaran las telas de las entrañas, atque ita non longius discessit sed *pusillum, quantum iactum est lapidis*, id est quantum satis erat ne ipsi maiore gravarentur dolore quam ferre poterant. Volebat enim Dominus laxare iam tristitiae habenas siquidem statim coepit *contristari et moestus esse*, neque tam luctuoso spectaculo passus est plures adesse testes quam tres qui satis erant ad faciendam postea fidem et explicandum fidelibus id quod oculis hauserant. Et quidem tres magis dilectos adhibuit quia peculiaris Christi dilectio non facit a passione immunem dilectum, sed potius ostendit ei *quanta oporteat eum pati* et fere non concedunt in hac vita peculiare favores et benevolentiae signa nisi ut ferre possit homo maiorem crucem. Adhuc tamen a tribus dilectis discessit (per summam charitatem) Christus quia spectando sanguineo sudore non erat illis satis virium, sed ea viderunt quae magno fructui possent esse fidelibus narrata ab ipsis qui Dominum euntem et redeuntem viderant in summo angore, et postea a Deo confirmati attentius consideraverant iterum atque iterum hortum illum visitantes et notantes signa sudoris sanguinei. Adde quod hac ratione significavit Dominus inter omnes quos ille suae crucis facit participes tribuendo ut cum ipso patiantur quam parum de calice bibant si cum Christo comparentur nam plures relinquuntur in rupe, et illi qui ulterius procedunt vix primis labiis degustant summum illum angorem. Imo non

solum ad bibendum sumus impares sed etiam ad contemplandam Passionis Christi immensitatem, quia illa eiusmodi est ut etiam qui plus videtur in ea contemplatione profecisse merito comparetur tribus illis dilectis Apostolis qui tamen in ipso initio vix adfuisse videntur.

[f.109v]

8. Sed redeundo ad Christum a suis discedentem ne illos adeo affligat ipsius angor perpende quaeso immensam charitatem erga eos quos tam cito videbat fore desertores et incredulos. *Festinavit* quidem Joseph Gn 43,30, quia *commota fuerant viscera eius et erumpebant lacrimae et introiens cubiculum flevit*, sed ille suae potius gravitati consulebat et in eo nihilominus ostendit nobilem charitatem, Christus vero non gravitatis causa cum adeo se pro nobis abiiceret, sed potius ne doloris gravitas gravius afficeret filios ab eis divellitur et seorsum copiosse effundit non lacrimas sed sanguineum sudorem, et in medio angore et summa tristitia, quod maius est, dissimulato aliquantulum dolore semel et iterum atque iterum ad suos redit ut orationis admoneat et suos erga illos curam ostendat.

9. Illa verba Lucae *orate ne intretis in tentationem* bene explicat Jansenius²⁷⁴, sed non bene explicat ad quos dicantur, verisimilius enim est Lucam ferre quod undecim discipulis Dominus dixerit. Ordo igitur est cum perventum esset ad locum ubi octo erant mansuri ait omnibus Dominus *orate ne intretis in tentationem*, et deinde acceptis tribus, ait *sedete hic donec vadam illuc et orem*, et tunc coepit vehementer angere et suam cum tribus dilectis communicavit tristitiam dicens *tristis est anima mea usque ad mortem*, id est parum abest ut moriar prae tristitia. Sic Augustinus. Vel invasit me tristitia quae neque abibit neque minuetur usque ad mortem sed durabit et crescit: sic Hieronymus²⁷⁵. Vel haec tristitia mihi omnino mortem afferret nisi ego me divina virtute ad crucem sustentarem: ita Hilarius²⁷⁶. Et de magnitudine tristitiae perpende singulorum Evangelistarum verba quae bene explicat Jansenius²⁷⁷. In hac ergo tristitia Dominus constitutus etiam a tribus dilectis discedere voluit ne plus eos affligeret quam ipsius charitas patiebatur. Atque ita iussit eos manere et vigilare et ipse ulterius progressus est pusillum seu potius ab eis divulsus est, ita tamen ut neque a caeteris octo plus quam lapidis iactum distaret.

²⁷⁴ JANSSENS, *In Concordiam*, c.137. Lugduni 1580, p.986.

²⁷⁵ HIERONYMUS, *Commentar. in Ev Mt 26,38*. PL 26,205.

²⁷⁶ HILARIUS, *De Trinitate*, l.10, n.36. PL 10,371.

²⁷⁷ JANSSENS, *In Concordiam*, c.137. Lugduni 1580, p.988.

10. Agit hic Jansenius²⁷⁸ de causis tantae tristitiae et angoris, in quo ostendit Hilarium²⁷⁹, Hieronymum²⁸⁰, Ambrosium timidiores fuisse ne arriani sui erroris ansam arriperent, deinde docent quomodo non sit indecorum valde perhorrescere mortem et ob eam causam gravissime angere. Nobis nunc filium historiae deducitur, postea vero sensum Deo favente ostendemus in iis quae in Passione Domini prae se ferunt aut animi infirmitatem aut insipientiam aut minorem alacritatem in iis maxime elucere perfectissimam virtutem, absolutam sapientiam et ardentissimum patiendi desiderium.

11. Nunc ergo ulterius progrediendo Mt et Mc referunt quomodo ter Dominus oraverit et semper eadem erat oratio, in qua et liberari petebat a Passione si per divinum decretum liceret, et deinde non solum se Patris voluntati permittebat sed etiam instanter orabat ut impleretur voluntas Patris. Nam Mt in 2^a oratione solum ait Dominum orasse ut *si aliter fieri non poterat, voluntas Patris omnino fieret*. Ergo non solum consentit sed etiam orat ut fiat voluntas Patris. Porro in hac expositione suppono communem explicationem illorum verborum *transeat a me calix iste* seu *transfer calicem hunc a me*, quamvis sciam Basilium, Hieronymum²⁸¹, [f.110] Eusebium homilia de Passione, et Ambrosium²⁸² aliter etiam explicare, nempe Dominum non petiisse ut ipse non moreretur sed ne calix propinaretur ei a populo iudaico quem sciebat ob crimen parricidii reprobaturum iri a Deo. Et aliter Hilarius²⁸³ qui ait non recusat pati sed orat ut mortis suae fructus et gloria non in ipso tantum maneat sed transeat ad omnes alios, vel ut quemadmodum ipse bibiturus est calicem passionis eodem modo servi sui bibant post ipsum magna cum charitate et patientia; phrasim enim Sacrae Scripturae est dicere Deum accipere de spiritu unius et transferre in alium, id est similem spiritum illi tribuere, ut dicitur accepisse de spiritu Moysis et transtulisse in seniores. Aliter nonnulli *transeat a me calix*, id est non permaneat in me mors sed redeam statim ad vitam.

Verum istae expositiones coactae sunt et ex contextu patet supradicto sensui insistendum esse quem sequuntur Ambrosius²⁸⁴, Origenes atque Chrysostomus; quoad phrasim vero certum est metaphoram sumi ab antiqua potantium consuetudine qua in conviviis ab eo qui dicebatur rex vini sua cuique convivae portio vini assignabatur, unde calix translatus est ad

²⁷⁸ JANSSENS, *In Concordiam*, c.137. Lugduni 1580, p.986.

²⁷⁹ HILARIUS, *De Trinitate* l.10, n.37. PL 10,374.

²⁸⁰ HIERONYMUS, *Commentar in Ev Mt* 26,38. PL 26,205.

²⁸¹ HIERONIMUS, *Commentar in Ev Mt* 26,39. PL 26,206.

²⁸² AMBROSIUS, *Expos in Lc* 22,42. PL15,1912.

²⁸³ HILARIUS, *De Trinitate*, l.10, n.38. PL 10,373.

²⁸⁴ Ambrosius, *Expos in Lc* 21,42. PL15,1911.

significandam sortem unicuique adeo paratam sive prosperam sive adversam. Nam in bonum accipitur Ps 15[5] *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei*, et Ps 22[5] *calix meus inebrians quam praeclarus est*, et Ps 115[13] *calicem salutaris accipiam*. Et in malum Ps 10[7] *ignis et sulphur pars calicis eorum*, et Ps 74[9] *calix in manu Domini vini meri plenus mixto*. Esaias 51, Hierem 25, vide id Mt 20,22 *potestis bibere calicem*. Quod ergo ait *transeat a me calix* e convivio desumitur metaphora, in quo cum singulis per ordinem tribuatur calix, ille qui bibere recusaret omnino diceret ut transeat ab eo calix, que pase de largo, id est ut sinatur ipse non bibere.

12. Et praeterquamquod ea phrasis videtur fuisse usitata, edatque Christus calicis² metaphoram praecipue in sua passione usurparet ex Theophilo et Clemente Alexandrino²⁸⁵, 1 pedagogi c.6, –1°, quia maxima siti ardebat avidissime arripiendi poculum et epotandi totum, –2°, sicut aegrotus amarissimae potionis poculum exhaurit totum ut morbum depellat, ita Christus qui omnium morbos susceperat atque peccata, ut omnes purgaret hausit hoc pharmacum. –3°, sicut qui largius bibit et capacissimum poculum ebibit subito corripitur somno et continuo ut digessit vinum evigilat, sic Christus bibens calicem, somno mortis correptus est sed ad breve tempus.

13. Supposita iam phrasis significatione occurrit in re ipsa difficultas an oret pars superior aut inferior aut voluntas ut natura vel ut libera et quo res melius intelligatur proponam distincte rationes dubitandi. —1° igitur non est dubium quin appetitus sensitivus Christi et voluntas ipsa ante deliberationem naturaliter recusarent mortem et cruciatus, et post deliberationem non est dubium quin adhuc magnam persentirent molestiam et nihilominus promptissime amplecterentur id quod superior ratio dictabat; unde orare *ut transeat ab eo calix si fieri posset*, videbatur esse motus naturalis praeveniens deliberationem et orare ut fiat voluntas Dei videbatur esse motus subsequens, sed est in hoc difficultas quia oratio et **[f.110v]** presertim iterum atque iterum repetita omnino ex deliberatione procedit, nec enim prudentis est verba proferre atque repetere nisi iuxta id quod omnibus pensatis decernit, unde quamvis optime dicatur Christum reliquisse unamquamque partem agere secundum propriam naturam, verum id debet intelligi quoad affectum, non quoad executionem; ergo neque quoad orationem quia precari est quodam exequi. Quod vero deliberate oret ut si fieri possit transeat ab eo calix videtur inconueniens et impossibile quia non potest quis deliberate velle id quod scit omnino non futurum neque videtur sapientis esse apponere conditionem

²⁸⁵ CLEMENS ALEXANDRINUS, *Pedagogus*, l.1, c.6. PG 8,306 A.

illam *si vis* quando scit alterum nulla ratione id voliturum, sed Christus sciebat Patrem omnino velle ut non transiret ab eo calix, ergo non debuit dicere *si vis transeat a me calix*.

Deinde in altera orationis parte in qua ut dictum est non solum consentit sed etiam instanter postulat ut fiat voluntas Dei difficultas est quomodo Christus postulet id quod novit non solum sibi iam esse concessum sed etiam in re vocabiliter statutum, nam ab instanti conceptionis sciebat decretum Dei non solum per modum praecepti sed etiam per absolutam voluntatem. Sed non deceret ut post impetrationem crucis Sti Jacobi eam denuo quis postularet a rege, ergo neque ut Christus decretam sibi crucem iterum atque iterum postularet a Patre.

14. —Dico 1° non esse inconveniens postulare id quod novi esse decretum quando decretum est dependenter a mea oratione, nam hoc est adhibere medium decretum ad finem decretum; est autem valde consonum rationi intelligere Passionem Christi fuisse decretam dependenter ab oratione ipsius ut precibus Christi coactus videretur Pater eum tradidisse pro nobis, id enim est Christo gloriosius atque adeo melius. Sic intelligo illud Psalmi *postula a me et dabo tibi gentes*, nam petere Passionem est etiam petere consequentia ad Passionem, et ad Passionem consequeretur conversio gentium etiamsi eam Christus non postularet, quia *si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longevum*. Praeterea sic intelligo id Pauli *exauditum esse Christum pro sua reverentia* (*Oblatus est quia ipse voluit* Esai 33,7. Porque lo quiso y lo pidió. Adde quod repraesentare Patri desiderium id est orare). Praeterea sic intelligo id Pauli *exauditum esse Christum pro sua reverentia*. Vide ergo quam utilis fuerit nobis haec oratio quia nisi oraret non pateretur, et quo instantius oravit eo maiorem pro nobis passionem obtinuit.

15. —Dico 2°, illa verba quibus videtur petere *ut transeat ab eo calix* ex deliberatione quidem procedere, sed salvo meliori iudicio non sic esse accipienda ut prima facie sonare videntur quia verba affectuose loquentis et valde amantis non sunt exigenda ad libellam metaphisicam, id est non semper sunt in rigore suae constructionis intelligenda (Por ejemplo en uno que quiere que le corten la pierna y que aunque se queje y dé gritos, que no le crean etc, dentro de los límites del esfuerzo). Ut diximus ad Romanos 9[3] de illis verbis Pauli *optabam anathema esse pro fratribus meis*, et de illis Moisis [Ex 32,32] *aut dele me de libro vitae* etc. In eiusmodi ergo loquutionibus mens et animus loquentis considerandus est plusquam tenor loquutionis; sicut enim non optabat Paulus anathema esse a Christo nequa

Moyses deleri de libro vitae, ita neque Christus ut transiret ab eo calix; sed sicut illi confidenter cum Deo loquebantur et ea ratione significabant se valde optare populi salutem, ita Christus nihil minus optans quam liberari ab imminente Passione confidentius cum Patre loquitur et conquaeritur ut ea ratione significet maximam esse afflictionem atque intensissimos dolores quos propter ipsum non solum aequo animo subit sed ardentissime desiderat. Perpende quo tempore ex instituto Ecclesiae dicat sacerdos *Domine non sum dignus sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea*, cum tamen absolute velit ut non solum verbo sed [f.111] etiam ingressu Christi sanetur anima. Quid ergo sibi vult illa oratio in qua videtur postulare ut solum verbo sanetur? Certe nihil aliud nisi se suam agnoscere indignitatem. Et multa huiusmodi saepe videmus aptissime dici ab iis qui affectuosius loquuntur, ut repletus quidam divina consolatione dicebat no más, Señor, que no cabe, et tamen rumpi potius volebat quam divini amoris dulcedine privari (Videas eos qui honoribus inhiant, oblatos videri recusare et tamen etc).

Quamvis ergo Christus non adiiceret *fiat voluntas tua* sed solum diceret *transeat a me calix*, cum alioqui constet eum calicem ab ipso vehementissime optari, omnino interpretaendum esset id Christum tribuere carnis sensui ut conquaeri videatur cum tamen per ea ipsa verba nihil minus significare velit quam ut vere ab ipso transeat calix, imo vero per ea ipsa verba dum videtur conquaeri et recusare nobilissima quadam ratione in crucis oblatione delectatur. Regálase con la cruz, et multo ardentius quam alter in coelesti suvitate ait no más Señor que no cabe, y lo que parece desvío es regalo y amor. Certe dubitari non potest quin in summa afflictione se Christum perfectissimum exhibuerit crucis amatorem non solum quoad constantiam sed etiam quoad subtiliores illas et optandi et sentiendi elegantias los primores y delicadezas y regalos in quibus nihil artificiosse excogitare possunt homines quantumvis ingeniosi in quo non sint hebetes et obtusi si cum ingenioso Christi in crucis amore exercitio comparentur. Unde ne cui videantur meditationes istae artificiosae potius quam solidae, meminerit obsecro de Christo esse sermonem de quo tanto verius sentimus quanto perfectius atque sublimius.

16. Lucas ait Christum orasse flexis genibus. Mt et Mc in faciem praecidisse. Jansenius²⁸⁶ explicat prius Christum orasse ut Lc narrat et postea prostratum. Sed contra est quod Mt et Mc de initio orationis loquuntur. Atque adeo credo explicari a Lc quomodo in faciem procumbens oraverit, nempe no extendido

²⁸⁶ JANSENS, *In Concordiam*, c.137. Lugduni 1580, p.988.

sino encogido, ut fieri solet positis genibus et brachiis hinc et inde extensis et denique manibus et facie solo admotis, qui corporis habitus maximam reverentiam ostendit.

17. Quomodo ter Dominus relicto orationis loco ad suos reversus fuerit et quid Petro dixerit optime ordinat et explicat Jansenius²⁸⁷ (Si los vigilaba a todos). Circa ea vero quae Lc addit de angeli apparitione et sudore Christi primum nota olim dubitatum fuisse an haec essent de textu. Verba Hilarii atque Hieronymi refert Brugensis sed iam constat haec verba eandem habere cum caeteris auctoritatem. Vide Medinam²⁸⁸ 3p, q.12, a.4, qui citat Dionisium Areopagitam (Dionisius De coelesti hierarchia c.4, fine, meminit angeli confortantis, Irenaeus sudoris sanguinei, cuius etiam meminit Athanasius²⁸⁹ lib.6 De unita deitate, fine), Epiphanium²⁹⁰ haeresi 69 ad finem f.242, et alios. Citatur etiam Justinus²⁹¹ in Dialogo cum Triphone, et Irenaeus²⁹² lib.3, c.32 fine. Deinde nota apparitionem angeli atque sudorem Christi omnino videri habere locum in tertia Christi oratione, nam de illa omnino intelligendum est quod ait Lc Christum *prolixius orasse*. Quod vero ait de *agonia* constat non esse proprie intelligendum de lucta inter carnem et spiritum cum caro Christi fuerit ad executionem subiectissima sed verbum *agoniae* proprie explicandum est pro angore et summa tristitia vel si pro lucta, non pro lucta inter carnem et spiritum sed pro lucta inter Christum et Crucem cum qua luctatus est ibi (luchó con ella a brazo partido, abrazándose con ella con tanta fuerza que sudó sangre).

18. Et sive *agonia* sumatur pro tristitia sive pro lucta non solum pertinet ad carnem et ad appetitum sensitivum sed etiam ad voluntatem et ex ipsa oratione Christi patet *non mea voluntas sed tua fiat*. [f.111v] Ex quo loco evidenter probatur contra monothelitas fuisse in Christo voluntatem humanam praeter divinam quia voluntas humana, ut nostra, timebat mortem; quomodo vero in anima Christi potuerint simul esse et gaudium visionis divinae et summa tristitia pro nobis assumpta absque eo quod se mutuo impedirent, id scholasticis relinquo. Vide D. Thoma²⁹³ 3p, q.15, a.5

²⁸⁷ JANSSENS, *In Concordiam*, c.137. Lugduni 1580, p.989.

²⁸⁸ BARTHOLOMEO MEDINA O.P., *Expositio in 3 D. Thomae partem q.12, a.4*. Venetiis 1590, p.185. (Citat Areop., Hilar., Hieron.)

²⁸⁹ ATHANASIUS, *De unita deitate Trinitatis ad Theophilum*, l.6. Coloniae 1617, p.371.

²⁹⁰ EPIPHANIUS CONSTANTIAE IN CYPRO, *Adversus octoginta haereses, Panarium sive Arcula, haer 69*. PG 42,299.

²⁹¹ JUSTINUS, *Dialogus cum Triphone*. PG 6 6,718.

²⁹² IRENAEUS LUGDUNENSIS, *Adversus haereses*, l.3, c.22 (32). PG 7,957.

²⁹³ THOMAS AQ., 3p, q.15, a.5; q.46, a.8. Ed Vivès t.5, p.34; p.228.

et q.46, a.8, et De veritate²⁹⁴, q.26 a.9 et 10. Neque sola tristitia ponenda est in appetitu sensitivo sed etiam in voluntate, nam etiam voluntas ut nostra horrebat mortem et Christus per omnia tentatus est, ad Hebr 4. Atque ita Damascenus²⁹⁵ ait solam divinitatem immunem fuisse a Passione, adhuc tamen dici potest voluntatem in parte superiori non fuisse tristatam, id est secundum superiores rationes. Quia quanvis tristaretur de nostris peccatis tamen est quodam adytum in voluntate confirmante se cum divina ad quam non pertingit dolor.

Abstrahendo a gaudio visionis beatæ et ab omni alio miraculo ex iis quæ diximus c.4 super Jn n.12, facile intelligitur quomodo in illo summo angore atque tristitia simul intelligatur summa voluptas spiritus. Quod si obiicias ex Aristoteles 7 Ethicorum tristitiam impedire delectationem non solum contrariam sed etiam quamcumque aliam. Respondeo ab hac generali regula excipi delectationem de ipsa tristitia nam qui valde appetit tristari eo ipso magis delectatur quo magis tristatur. Et quidem hoc non est sensibile gaudium sed reconditum et spirituale, quale habent sanctissimi viri in conformitate cum divina voluntate in mediis tribulationum fluctibus inter quos Christus cum esset sapientissimus et videret eximium bonum quod per crucem et sibi et universo mundo comparabat fieri non potest quin summo afficeretur gaudio in ipsis doloribus et taedio atque tristitia quia non potest quis non valde gaudere si videt se comparare bonum aliquod maximum et valde ab ipso amatum et præsertim si bene compræhendat illius boni magnitudinem.

Quod si adhuc contendas per eiusmodi gaudium iustorum maxima ex parte diminui eorum tristitias dum tristari gaudent ut impleatur in eis voluntas Dei et ut bono patientiæ perfruantur.

Respondeo 1^{um}, negari non posse quin hoc sit maximum discrimen inter sumos angores iustorum et leviores peccatorum, quod isti sine ulla consolatione patiuntur atque adeo eorum labores tartarei sunt, qui vero libens submittit se Deo et libenter amplexatur crucem, etiamsi magis et magis crescat dolor, nihilominus est alterius generis et non pervenit ad arcanam illam superioris voluntatis portionem, atque adeo necessario est multo mitior quia nihil ita facit crucem intolerabilem sicut deliberata resistentia voluntatis. Atque in hoc sensu verissime dici potest illud Bernardi²⁹⁶: *tolle propriam voluntatem et infernus non erit.*

²⁹⁴ THOMAS AQ., *De veritate*, q.26, a.9; a.10. Ed Vivès, t.15, p.279; p.282.

²⁹⁵ JOANNES DAMASCENUS, *De duabus in Christo voluntatibus*. PG 95,178.

²⁹⁶ BERNARDUS, *De gratia et libero arbitrio*, c.1, sic: *tolle liberum arbitrium et non erit quod salvetur*. PL182,1002. (Ad literam OSVALDO DE LASKO).

Respondeo 2°, quod sublata hac tristitiae acerbitate quae quidem maxima est sed vitiosa atque adeo aliena a Christo, interior spiritus pax lenire solet doloris magnitudinem non solum per compensationem sed etiam per mitigationem, credibile est in Christo per miraculum non redundasse solatium ex parte superiori in inferiorem, sicut non redundabat ex visione beata, quia ipse clamat *ut quid dereliquisti me*. Et nota in omnibus aliis sanctis etiam quando videntur magis derelicti et meracius bibere tribulationis calicem adhuc per patientiam videtur esse dolor mitior quam esset suapte natura; in Christo vero dolor atque tristitia videtur nihil rigoris amisisse. Et fortasse hoc est quod intendit D. Thomas supra.

[f.112]

19. In Angeli apparitione nota duo: 1^{um} est fortasse Angelum nihil fuisse loquutum id enim videtur aptius et verisimilius nonnullis viris spiritualibus, ut *confortatio* non referatur ad verba (quid enim diceret angelus ad confortandum Deum?) Sed ad praesentiam (como la de los amigos de Job los primeros días). Alterum est decentissimum fuisse ut illa confortatio fieret angeli ministerio; tamen ut intelligeremus angoris magnitudinem in quo opus fuit aliquo levamento ut caro ferre posset dolorem, nam alioqui non pateretur Christus sibi adhiberi medicinam cum adeo optaret pati, tum etiam quia si propria virtute se confortaret Christus ut non esset opus ei externo solatio ad angoris magnitudinem tolerandam, hoc ei deesset ad summam doloris acerbitem, nempe derelinqui a Patre atque a divinitate et opus esse ei veluti favorem postulare a servis suis. Sed non permisit adesse legiones angelorum ut solum assumeret necessarium levamentum et visi sunt omnes angeli cum non permetterentur adesse saltem legatum aliquem a Patre permissum ad Christum misisse qui tacitus omnium nomine ad Christi se pedes abiiceret et significaret id quod omnes facerent si per Patrem eis liceret.

20. De sudore Christi verba Lucae sunt ***et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram***. Graece ἐγένετο ὁ ἰδρῶς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἱματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν *fuit autem sudor eius quasi tromboi sanguinis cadentes in terram*. Dubitatur ergo an vere Christus sanguinem sudaverit.

Et non videtur quia Lc non ait sudorem eius fuisse sanguinem sed *veluti guttas sanguinis*, id est fuisse adeo crassum vel tantum cum angore et aestu ac si sudasset sanguinem, atque ita Euthymius existimat esse comparisonem, et Theophilactus²⁹⁷ hyperbolicam loquutionem et haberet locum hyperbole quamvis Lc absolute diceret sudorem fuisse sanguineum, sicut si hispanice

²⁹⁷ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Lc 22,40*. PG 123,1082.

diceretur que lloró lágrimas de sangre. Et facit quod D.Thomas²⁹⁸ in catena videtur non reprobare Theophylacti opinionem. Adde quod trombus non significat proprie quamlibet guttam sed solum eam quae concreta est, ut cruoris partus denotare videatur in terra manentes (Nam alioqui trombus est grumus, ut terrae, salis, etc.). Et non potest vere sudari cruor concretus quamvis ab illo possit summi comparatio vel figurata loquutio.

Nihilominus dico certum omnino videri in fide Christum vere sudasse sanguinem, quia id pro comperto supponunt Augustinus et Beda²⁹⁹ et Caesarius frater Nazianzeni dialogo 4, fol.1458; et Hilarius non dubitat quin ita explicandum sit, 10 De Trinitate³⁰⁰, et reliqui omnes interpretes, et quod magis est Athanasius³⁰¹ libro 6 De unica deitate, qui inscribitur De beatitudine Filii Dei anathema [f.112v] contorquet in eos qui negant Filium Dei sudasse sanguinem, et quamvis non eo praecipue spectet Athanasius ut definiat sudorem fuisse sanguineum, sed ut illum sudorem vere tribuamus Filio Dei et non distinguantur Personae, tamen supponit tanquam indubitabile Lucam agere de sudore sanguinis. Sicut supponit etiam omnes viri spirituales in Passionis meditatione.

Ad obiectionem respondent multi istas particulas *tanquam, sicut, quasi, veluti*, etc, non semper denotare similitudinem sed aliquando exprimere veritatem, ut Jn 1 *vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti*. Sed haec responsio non videtur ad rem quia nihilominus non diceret Sacra Scriptura incisam fuisse alicui venam et existiisse *veluti sanguinem*, quia illiae particulae aut dicunt similitudinem aut aptam aliquam convenientiam, ut *gloriam quasi Unigeniti*, id est qualis decebat Unigenitum. Et non cohaeret in hoc sensu sudorem fuisse quasi guttas sanguinis. Dicendum ergo est proprietatem sermonis non satis explicari in nostra lectione, qui trombus non significat proprie guttam sed grumum et sicut non dicimus recte grumum aquae sed guttam, ita fere non dicitur trombus *ematos* sed *staligmos*, sed ad significandum maiusculas aliquas guttas concretas (unos goterones cuajados) recte diceremus quosdam veluti grumos sanguinis, qua dicendi ratione denotatur vere esse sanguinem sed non esse proprie grumos quia non sunt terrae neque salis neque rei omnino concretae. Sicut vitreos smaragdus recte diceremus esse quosdam veluti smaragdus vitri et tamen sunt vere vitri, sed non proprie smaragdi. Unos como rubíes de vidrio, unas como nueces de barro. Sic ergo dixit Lc Dominum sudasse quosdam veluti trombos sanguinis, ergo in nostra

²⁹⁸ THOMAS A.Q., *In Lc Ev c.22*. Ed Vivès t.17, p.346.

²⁹⁹ VENERABILIS BEDA, *In S.Lc Ev expositio 22,44*. PL 92,603.

³⁰⁰ HILARIUS, *De Trinitate, l.10, n.41*. PL 10,375.

³⁰¹ ATHANASIUS, *De unica deitate, l.6*. Coloniae 1617, p.371.

lectione quando audimus sudorem fuisse quasdam veluti guttas sanguinis dicamus proprietatem illius particulae *veluti* petendam esse ex graeco, aut si mavis etiam in latino sermone non esse iam proprie guttas atque adeo recte fuisse dictum sudorem Christi fuisse quasdam veluti guttas; sed vere sanguinis, ut videtur esse recepta ab antiquo traditio. Et certe cum constet hanc esse simplicissimam et aptissimam explicationem loci sine ulla coactione, non possum non admirari eos qui rem ad hyperbolem derivant aut ad comparisonem cum sudore sanguineo cum ad eos sensus non satis cohaereat trombi nomen seu grumi nam hyperbolice quidem bene diceretur quis sanguinem sudasse non tamen apte diceretur sudorem eius fuisse veluti grumos sanguinis, et similiter comparatio fortasse posset desumi ex sudore sanguineo sed quorsum ex quibusdam veluti grumis sanguinis. Constat ergo D. Lucam multo minus reliquisse locum eiusmodi explicationibus quam si diceret Christum sanguinem sudasse.

21. Quod vero subdit *decurrentis in terram* positum videtur in graeco participium praesentis pro praeterito, quasi diceret sudorem Christi fuisse quosdam veluti grumos sanguinis ipsius qui super terram excidebant, quod sudoris abundantiam denotat, et fortasse etiam indicat quosdam veluti grumos cruoris in eo loco postea fuisse repertos et animadversos. Nisi quis dicat sudorem sanguineum in facie et corpore Christi coaluisse atque adeo comparative dici sudorem ipsius fuisse veluti grumos sanguinis qui cadit in terram et statim coalescit, nam verisimile est ab Evangelista significari quod etiam in facie Christi statim coalesceret sudor in quosdam veluti globulos non solum ob circumfusam aeris et nocturni temporis frigiditatem ut guttae [f.113] pluviae in estate propter antiparistasim, sed etiam quia quamvis calore exprimeretur sudor nihilominus est in agonia nescio quae lucta caloris et frigoris ex qua saepe contingit ut exeat sudor frigidus ut videmus in iis qui prope mortem angore et aestu corripuntur.

22. Hilarius 10 De Trinitate³⁰² et Jansenius³⁰³ hic miraculo tribuunt quod Christus sanguinem sudaverit et praeter rationes quas adducunt addi potest quod timor et tristitia secundum naturam potius habent vim introrsum compellendi omnem calorem et sanguinem atque ita fit ut timentibus et moestis extrema corporis frigescant et pallescant. Nihilominus dico: fortasse fuisse miraculum ut tanta tristitia et angor quantam Christus tunc sustinuit non ei mortem attulerit, sed posita illa tali et tanta agonia naturaliter consequutum

³⁰² HILARIUS, *De Trinitate*, l.10, n.41. PL 10, 375.

³⁰³ JANSENS, *In Concordiam c.137*. Lugduni 1580, p.990,991.

fuisse sudorem sanguinis, atque ita optime philosophatur Cajetanus³⁰⁴, quia si angor et anxietas solet sudorem exprimere, ergo maior maiorem, ergo potest in tantum augeri ut potens sit omnem prius sudorem aqueum et postea etiam sanguinem exprimere. Adde quod alioqui non esset ille sudor inditium incomparabilis agoniae.

Sed obiicit Jansenius³⁰⁵ quod ea ratione non exirent veluti grumi sanguinis sed potius liquidior sanguinis pars. Respondeo liquidioris sanguinis partem ex supra dictis causis fuisse facile congelatam.

Et quod dicitur timorem et tristitiam potius introrsum compellere sanguinem. Respondeo 1^o sudorem hunc non esse proprie ortum ex timore vel tristitia sed ex angore et anxietate. Respondeo 2^o propriam tanti sudoris causam fuisse virtutis applicationem ad vincendum timorem atque tristitiam et ea omnia quae horrorem incutiebant. De quo vide late et optime Ludovicum Legionense³⁰⁶ De nominibus Christi. Atque adde compertum esse quendam Dei amicum dum inter somniandum magna vi cuidam inhonesto mulierculae resisteret, postea somno excitatum se invenisse sanguineo sudore madefactum.

Cum post tertiam orationem Dominus ad suos rediit bene ordinat et explicat Jansenius³⁰⁷ verba quae habentur inter Mt et Mc. Sed nota duo: primum est hic etiam coniungenda esse verba quae refert D. Lucas. Alterum est apud Mc ubi legimus *sufficit*, graece habere ἀπέχει, de quo habes in Testamento Novo graeco *parvo*.

23. In ordine Historiae confortatio angeli videtur posterior sudore sanguineo, porque entonces venía mejor y después con este confortamiento no fue tanta la angustia de Christo en medio de los tormentos, pues que pudo pasar sin sudar sangre. Nisi dicas miraculose id contigisse y que el haberse reprimido en no mostrar tanta pena fue particular tormento. Sed simplicius est ut dicebam etc.

[f.114]

De flagellatione

1. Non vacat de singulis huius Sacrosanctae Historiae partibus dicere. Illud tamen in genere maxime commendatum esse vellem concionatoribus ut nihil in re adeo gravi afferant quod non sit expresse ab Evangelistis

³⁰⁴ CAJETANUS, *In quatuor Ev, Lc 22*. Lugduni 1573, fol.308v.

³⁰⁵ JANSSENS, *In Concordiam c.137*. Lugduni 1580, p.990.

³⁰⁶ FRAY LUIS DE LEÓN, *Los Nombres de Cristo: Rey*. Salamanca 1603, fol. 106v.

³⁰⁷ JANSSENS, *In Concordiam c.137*. Lugduni 1580, p.989.

scriptum vel a sacris doctoribus observatum nam vulgares traditiones nullam habent meo iudicio in hac re auctoritatem. Et eiusmodi videtur esse meo iudicio quod dici solet de numero verberum quae Dominus pertulit. Scio Magistrum Avilam³⁰⁸ in libro spirituali c.79 dicere fuisse plus quam quinque millia, et Ludovicum Granatensem 1^a p. De oratione et meditatione, fer.4 mane, § 3, idem testificari et dicere multos sanctos eundem numerum assignare. Et consentit Gabriel Vacca in sermone de passione, statione 6. Praeterea Alphonsus Orosco, declamatione 24, quadragesimali minutius scribit flagella fuisse 5390. Praeterea Ludolphus³⁰⁹ in vita Christi 2^a p., c.58 non longe a principio ait: *cuidam seni matronae reclusae multitudinem et numerum omnium vulnerum Christi scire cupienti et de hac re flebiliter Deum oranti coelesti voce responsum esse vulnera Christi fuisse 5490*, et praeceptum ut quotidie in anno pater et ave *quindecies recitaret* ut singula vulnera singillatim integro anno salutaret. Et addit Ludolphus hanc orationem valde placere Deo prout postmodum revelatum fuit cuidam solitario. Praeterea Franciscus Ortiz tomo 1 homiliarum, super Ps 50, homil.49, idem sequitur, et ait: dicunt quidam revelatum fuisse etc. Praeterea, Joannes Echius sermone de Passione, consideratione 4, ait referunt Doctores Dominum cuida homini religiosius passionem eius meditati revelasse quod in corpore suo vulnera habuerit 5375.

2. Nihilominus contra hanc vulgarem traditionem occurrit 1^{um}, in ea suspectam esse novitatem. Quamvis enim simplici et pio animo a nonnullis in genere citentur sancti atque doctores, constat tamen ante Ludolphum nihil scriptum esse vel in Patrum comentariis vel in Juniorum scriptis quod huic sententiae aliqua ex parte patrocinetur. Atque ita Bonaventura prius in primis misteriis Christi meditator et qui omnia undique conquirere solet quae devotionem animi excitent, nihil de numero verberum tradit, ut videre est in meditationibus vitae Christi c.73, ubi de flagellatione. Praeterea quod attinet ad revelationem norunt viri spirituales saepe devotis foeminis revelationem apparere eam quae vera est illusio aut somniatio, et praeterea diversae videntur fuisse revelationes quae discrepant in numero nam variant qui referunt ut supra patet. Vide quid observet Cajetanus³¹⁰ opusculum De Conceptione Virginis, de huiusmodi contrariis revelationibus. Sed dices cur non credamus adeo piaee traditioni et revelationi praesertim postquam recepta

³⁰⁸ JUAN DE ÁVILA, *Audi filia, Libro espiritual... c.79. BAC M*, Madrid 2000, t.1, p.708.

³⁰⁹ LUDOLPHUS DE SAXONIA, *Vita Christi, 2^a pars, c.58. Venetiis 1572, fol.430 E.*

³¹⁰ CAJETANUS, *Tractatus de Conceptione B. Mariae Virginis, c.1. Lugduni 1585, t..2, p.137.*

est a viris piissimis et prudentissimis? Respondeo magnam quibusdam videri pietatem omnia eiusmodi credere quia charitas omnia credit, mihi tamen magis videtur esse ex pietate difficilem se in his rebus praebere, tum ne levitatis arguamur in credendo et irrideamur ab inimicis, tum etiam ut pietati habeatur honor pro meritis et sit nomen eius in praecio. [f.114v] Excusandi tamen sunt qui bona fide putarunt eam traditionem maius habere fundamentum; sed si examinassent non dubito quin aliter sentirent. Atque ita suspicor admonitum fuisse ab aliquo Ludovicum Granatensem quia in additionibus memorialis et in contionibus latinis noluit quicquam de numero flagellorum definire. Sed et Ludolphus³¹¹ postea c.62 noluit numerum exprimere, tamen dixit vulnera fuisse innumerabilia (Dic cur non referas quod habet in libello de passione Christi qui tribuitur divo Anselmo et est inter eius opera).

3. Praeterea relicta illa revelatione cuius non videtur habenda ratio et relictis numerorum minutiis, ex iis quae ab Evangelistis et a Sacris Doctoribus traduntur, ego mihi certa ratione colligere videor non adeo magnum fuisse verberum numerum. —1°, quia non est verisimile tam stupendam atrocitatem contra morem gentis, contra morem romanorum et contra leges fuisse ab omni antiquitate praetermissam ut nulla eius fieret mentio. Certe si res ita haberet, ego nescio quomodo vel Evangelistas excusare vel saltem Ecclesiam apud quam neque traditione conservata fuerat tam admiranda rei memoria. —2°. Constat Pilatum admiratum fuisse quod Christus tam cito obiisset, id quod notasse videtur Evangelista ut animadverteremus Christum ex doloris acerbitate et angoris magnitudine prius obiisse quam secundum vulnerum rationem obiturus esset, solent enim crucifixi plus quam tres dies in cruce durare. Atqui prodigiosum potius esset et plane miraculosum post quinque millia verberum superesse. —3°, si id tribuitur iudaeorum odio, quomodo in Paulum non adeo saevibant sed semper quadragenos una minus accipiebant, et dato quod odium esset multo vehementius non videbant se crucifixionem impedire quam tantopere contendebant si eum verberibus necarent. —4°. Re bene persensa non invenio tempus ad tam longam verberationem cum paucis horis tota res peracta sit, et non potuerint adeo brevi expediri reliqua. —5°, non magis videtur commendari charitas et patientia Christi in adeo magna verberum multitudine quia pluribus flagellis hebetari videtur doloris sensus ita ut quamvis quis magnam sanguinis copiam effundat atque offa ipsa ei discooperiantur, nihilominus parum aut nihil sentiat sed potius exanimetur, como se ve

³¹¹ LUDOLPHUS DE SAXONIA, *Vita Christi*, 2^a pars, c.62. Venetiis 1572, fol.458v,H.

en los disciplinantes del Jueves Santo qui postquam amiserunt acerbioris doloris sensum et flagellum vident sanguine madefactum vix possunt sibi temperare quousque viribus et spiritu fere deficientur. Subrustica certe patientiae laus, atqui melius instructi sunt et dolorem potius experiri volunt quam numerum verberum vel eorum apparentem atrocitatem norunt aliter se flagellare. Considerandum ergo est quamvis inimicorum manibus se ipsum verberare pro nobis et nolle ostentare patientiam, sed exhibere, non exanimatum velle mori deficiente spiritu, sed potius integro spiritu prae doloris acerbitate, atque ita multo melius habet iuxta Christi sapientiam et charitatem, id quod Evangelistae et sacri doctores tradiderunt quam quod bona illa foemina reclusa, a nescio quo spiritu audivit ante paucos annos ((quia non possent eum ligare funes nisi ligaret charitas)).

[f.115]

4. Sed hanc revelationem quidam adhuc retinere volunt et aiunt non esse intelligendam de numero verberum sed de numero vulnerum quia eodem verbere multa possunt infligi vulnera propter multiplices flagelli funes. Adde quod non solum verberibus vulneratus est Christus sed etiam pugnīs, arundine, clavibus; dico tamen non tantam esse eius revelationis auctoritatem ut quaerendae sint illius expositiones, et si Deus vellet ut numerus vulnerum Ecclesiae constaret non quaereret foeminam reclusam, sed apertam vel Scripturam vel Traditionem; et praeterea si de distinctis vulneribus intelligatur, ego non possum plane animo informare quomodo distinctum esse posit vulneribus quantumvis parvis unius hominis corpus ut quinque millia numerari possint. Innumerabiles apparent in Coelo stellae et tamen astrologi in tanta corporis vastitate non inveniunt mille quingentas quas vel acutissimus oculus distinguat.

5. Ex dictis etiam patet non esse habendam fidem ei traditioni quam Antonius Medina tribuit christianis incolis Terrae Sanctae, nempe Dominum prius fuisse funibus verberatum, deinde funiculis nodosis additis ferreis scorpionibus, postea catenis, et tandem virgis spineis. Sed traditiones incolarum Terrae Sanctae parum habent fidei, quia non permanserunt ibi christiani a tempore Passionis ut possit intelligi continuata traditio, sed omnes sunt advenae et saepe mutant locum atque adeo non retinent veterum traditiones. Magis miror quod ait Paulus Palatius Mt 27, nempe traditum esse a gravissimis auctoribus primo Dominum fuisse flagellatum virgis spineis, deinde cordis in quarum extremitatibus erant quaedam puncta ferrea, et tertio catenis aduncis. Vellem tamen ut unum ex illis gravissimis auctoribus nominaret.

6. Obiiciet quis fortasse nobis id Psalmi *congregata sunt supr me flegella et alibi fui flagellatus tota die et castigatio mea in matutinis*. Sed respondeo in his locis quando de Christo intelliguntur nomine flagellorum comprahendi per metaphoram opprobria et passiones reliquas. Sic enim nos cualquier trabajo le llamamos azote de Dios.

7. Non dubium est quin Dominus flagellatus sit ab aliquo vel aliquibus Pilati ministris, ut expresse docet Hieronymus³¹² et per se etiam erat manifestum. Unde mirandum est Bedam³¹³ super Mc dicere ab ipsomet Pilato Dominum fuisse verberatum, quia Jn ait *tunc appraehendit eum Pilatus et flagellavit eum*. Sed non poterat id eo modo intelligi nisi Pilatus oblitus suae dignitatis ex rabie et odio id fecisset. Atqui potius cupiebat liberare Christum.

8. Mt et Mc manifeste ostendunt Dominum fuisse flagellatum ut ad crucem mitteretur iuxta romanorum consuetudinem (cuius hic meminit Hieronymus³¹⁴) qui neminem morte plectebant quem non prius verberarent. Sed quia illa verba Lc *corripiam ergo eum et dimittam* de flagellatione intelligit Euthymius³¹⁵ et plerique, et quia ex Jn constat post flagellationem adhuc contendisse Pilatum liberare Christum, imo cum illa flagellatio omnino videatur facta ad mitiganda iudaeorum rabiem, ut omnes fere super Jn exponunt, ideo Montanus contendit bis Dominum fuisse verberatum. Sed hanc opinionem optime impugnat Jansenius³¹⁶, et facilis est ad argumentum responsio, nempe [f.115v] Pilatum id praecepisse quod videbatur iam pertinere ad Christi damnationem ut experiretur an vel sic defervesceret iudaeorum odium, et cum nihil proficeret tum iam flagellatum tradidit Christum ad Crucem.

9. Sed ex hac Pilati intentione colligunt Ludovicus Granatensis et alii atrocissime fuisse verberatum, et praesertim cum credibile sit milites voluisse iudaeorum voluntati morem gerere. Ego certe non contendo flagellationem fuisse mitiorem sed non audeo in re adeo gravi libere philosophari. Et quidem ex Christi charitate mihi persuadeo acerbissimum fuisse verberum dolorem quia flagellatus est quantum voluit, et saturata est opprobriis sitis eius, sed adhuc ex ipsa Pilati intentione colligo falsan esse illam de 5000 verberibus revelationem quia non est credibile eum voluisse verberibus occidere eum

³¹² HIERONYMUS, *Commentar in Ev Mt 27,26*. PL 26,216.

³¹³ VENERABILIS BEDA, *In S.Mc Ev expositio 15,15*. PL 92,284.

³¹⁴ HIERONYMUS, *Commentar in Ev Mt 27,26*. PL 26,216.

³¹⁵ EUTHYMIUS, *Comment in Ev Lc 23,13*. PG 129,1087.

³¹⁶ JANSENS, *In Concordiam c.142*. Lugduni 1580, p.1021s.

quem volebat ea ratione a crucis supplicio liberare et liberum dimittere. Atqui ut speraret inimicos misericordia movendos esse satis erat si hominem adeo gravem eis ostenderet veluti vile mancipium verberatum et irrisum etiam si non esset spectaculum cruentum.

10. Ex Evangelio volunt aliqui colligere cuiusmodi esset flagellum quo Christus flagellatus est, quia Evangelistae graece scribentes voce latina usi sunt quae videtur proprie spectare ad eam flagellationem quae fit non virgis aut fustibus sed loris. Y otros dicen que no con rebenque sed funibus contextis cum látigos. Vide Toletum³¹⁷ et perpende textum.

³¹⁷ TOLETUS, *In Jn Ev comment c.13, annot 1*. Roma 1588, t.2, col.429.